OBSERVATIONES
ANATOMICO-PATHOLOGICI
ET
PRACTICI ARGUMENTI,


AUCTORE

J. L. C. Schroeder van der Kolk.

MED. ET ART. OBST. DOCT. MEDICO IN NOSOCOMIO
AMSTELODAMENSI SUBURBANO.

FASCICULUS I.

CUM 3 TABULIS LITHOGRAPHICIS.



AMSTELODAMI,
APUD C. G. SULPKE,
MDCCCXXVI.

VIRIS CLARISSIMIS

EVERARDO JOANNI THOMASSEN A THEUSSINK,

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORI, MEDIC. PROFESSORI IN ACADEMIA GRONINGANA ORDINARIO; ORDINIS LEONIS BELGICI EQUITI,

COLLEGII PROVINCIALIS AD RES MEDICAS GRONINGANI PRAESIDI PERPETUO,

REG. SCIENT. ARTIUMQUE INSTIT. ADSCRIPTO ET MULTARUM ALIARUM SOCIETATUM ERUDITORUM SOCIO ET ORNAMENTO,

PRAECEPTORI MULTIS NOMINIBUS MIHI COLENDO,

NEC NON

JANO BLEULAND,

MED. DOCT. IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA PROFESSORI ORDINARIO,

PLURIUM SOCIETATUM SCIENTIAR. SODALI,

DE ANATOMIA SUBTILIORI ET PATHOLOGICA SUMME MERITO.

OMNI,

OMNI, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

SACRUM VULT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Ante quinque annos, quum gravissimum medici munus in Nosocomio, quod Amstelodami est, suburbano, susciperem, felicissimam simul et uberrimam nactus sum occasionem et copiam, magnum quotidie aegrorum hominum numerum et varietatem observandi et curandi, atque morbis defunctorum cadavera dissecando lustrandi, abditasque partes perscrutandi. Quo agendi modo assiduo atque diligenter usurpato cum appareat, conceptam morborum diagnosin examinari et existimari posse, eorundemque naturam subtilius inquiri, clariusque intelligi, mature, ut spero, perspicere coepi, omnibus viribus mihi enitendum esse, ut factas morborum observationes et symptomata cum illis, quae in cadaveribus invenirem, attente et vere confer-

rem, atque hoc potissimum consilio, quaequae videbantur morborum illustrare ortum et naturam, aut quacunque hac causa apparebant bona et utilia, ea omnia selegi et a corruptela spiritu vini in usum conservo. Hac ratione, quamvis exemplorum et speciminum pathologicorum cresceret ubertas, credidi tamen subtiliorem anatomen in auxilium vocandam esse, illiusque ope studendum, paulo interius inquirere, quid agat et quasi struat natura in morbis, quaenam corporis humani partes et instrumenta, quibusve potissimum modis morbis teneantur, pati incipiant, et serpente malo degenerent tandem. Quem in finem morbosarum partium et instrumentorum vasis sanguiferis ceram vel tenuem quendam liquorem injeci, nimirum ut sic interior structura cerneretur, eorumque mutationes apparerent, tum aliquando vasa lymphatica mercurio implevi et nervos persecutus sum.

Atque sic mihi contigit, partium multarum, quae chronicis morbis affectae fuissent, seriem quandam, inde ab initio mali ad ακμην continuo gradu progressam, cum vasis infusis vel et nervis indagatis conficere, quarum partium mali historiam videram ipse et annotaveram. At sicuti in quaerendis rerum causis, speciosas haud raro pro veris habeamus, qua

qua in re facile erramus homines, cavendum est, sic prudentiam requiri opinor, ne nosmet ipsi cadavera secando in errorem delabamur, et quae in moriente homine accidant, aut ipsum morbum, aut ejus causam fuisse temere credamus; quem errorem, cum et me plus semel commisisse haud negem, in conscribendo hoc opusculo id praecipue egi, ut quae in aegris observaveram, atque cadaverum sectionibus illustrata mihi videbantur, omni fide proferrem, et perspicue enarrarem: quare etiam parce, nec nisi re postulante alios auctores citavi, et tanquam testes excitavi; neque erat consilium meum historiam morborum literariam exponere, sed, quid vidissem, simplici et modesta oratione referre. Quam perspicuitatem dictis nullo modo melius me conciliare posse credidi, quam adjiciendo tabulas, ad ipsa specimina confectas et in lapide delineatas: quod utrumque, qua potui fide, ipse feci; nam raro anatomicis contingit, harum rerum gnarum pictorem invenire, quique tanto otio abundat, ut ea anxie exprimat, quae auctor indicare velit.

In scribendo autem hunc ordinem secutus sum, ut, inflammatione vasorumque mutationibus, quas ipsis chronici morbi varii inferant, generaliter expositis, praecipuos pulmo-

mo-

monum morbos chronicos, qui in patria tantam hominum vim quotannis rapiunt, quantam nullus alius, unum post alterum tradam, primum Phthisin floridam, siphiliticam et pituitosam, deinde Bronchitidem, Hydrothoracem et tandem rariorem morbum Gangraenam pulmonum.

Praefationem vero finire non possum, quin publice gratias agam viro cl. VAN DER BOON MESCH. *Hist. natur. et Chym. in Athenaeo Amstelodamensi illustri Professori, qui meo rogatu quarundam rerum chymicas analyses instituit, et mecum communicavit, cumque mihi scribendi praecipuus auctor et suasor exstitisset, in edenda hac scriptione consilio et re me amice et diligenter adjuvavit.*

Hoc igitur opusculum, gravitatis pensi suscepti et virium mearum tenuitatis memor et conscius, ut aequo animo et benivolo accipiat et dijudicet, lectorem enixe rogatum volo.

Scripsi Amstelodami, mense Majo,
anno MDCCCXXVI.

INTRODUCTIO.

Si corporis humani membra et partes abditas, instrumenta eorumque actiones contemplemur, duo praecipue veluti systemata praevalere videntur, quae viribus et efficacia prae aliis eminent, omnesque reliquas partes communi quasi vinculo jungunt atque adeo gubernant, ut ad unum finem, conservationem totius fabricationis, omnes conspirent, nervosum inquam systema et sanguiferum; nec tamen actiones suas seorsim absolvere valent, sed alterius auxilio alterum ubique indiget. Horum adeo felici conspiratione talis in corpore conservatur harmonia, ut omnes reliquae actiones rite peragantur, et sanitas fiat et servetur. Maxime vero diversum est horum systematum officium pro varia corporis parte, quam adeunt, et pro diversa instrumentorum fabrica et actione; quidam nervi v. c.

quales sunt, qui sensuum organa adeunt, impressiones a mundo externo receptas cum sensorio communicant, nervi motus vero animi imperia quoquoversum per corpus distribuunt, alii contra suas actiones propria vi quasi absolvunt, quales sunt, qui per organa concoctionis et nutritionis ducuntur.

Vasa sanguifera ubique corpus nutriunt, in quibusdam vero organis diversas materias alunt et adferunt, ita tamen, ut ad hoc officium peragendum nervorum auxilio omnino indigeant; quod praecipue recentiori tempore pluribus experimentis probatum est. Itaque horum systematum cognitio ad corporis nostri actiones explicandas maximi momenti est; nam ita v. g. explicamus, cur corpus stimulum percipiat, in illumque reagat, cur quidam stimuli nimis corpus afficientes reactionem excitent abnormem et omnium harmoniam organorum perturbent morbosque excitent. Jam patet omnem pathologicam explicationem sine Anatomiae et Physiologiae cognitione esse vanam et vacillantem, quare mirae vel et forte absurdae olim theoriae de morborum natura ex imperfecta physiologica cognitione tamquam e fonte profluxerunt. Deinceps vero et nostro quoque inprimis seculo doctissimorum virorum industria et sagacitas felices progressus fecerunt in explicanda corporis huma-

ma-

mani fabrica et vivendì modo. HALLERI edictum, *nemo mortalium in intima Naturæ penetralia prospicit*, semper quidem ob ingenii humani tenuitatem constat et constabit, plurima tamen detecta sunt, quae veteres ne suspicati semel fuerunt. Longissime tamen absit, nos quidquam de immortalium virorum gloria detrahere velle; e contrario credimus morborum ortus et decursus ab illis universe ut accuratius et diligentius observatos, sic vividiori colore ad vivum expressos esse, quam saepe jam obtinet: at structurae morbosae perscrutationem nimis neglexerunt. Nam et BONNETUS et MORGAGNI ipsi licet Anatomiae pathologicae fundamentum posuisse facile concedamus, morbosas tamen degenerationes leviori penicillo depinxerunt: non enim sufficit morbosae cujusdam structurae vel affectionis descriptio accurata licet, sed modus indagandus est, quo Natura has mutationes in corpore moliatur, et quaenam sint partes, quae morbose affectae et agentes degenerent. Quas Naturae operationes, ut exponamus, a sanitate incipiendum credimus, certe si inflammationes praecipue chronicas et structurae morbosae originem rite intelligere velimus; quam ob rem in harum rerum consideratione hunc ordinem servandum esse duximus, et dicemus:

 I. Quae-

I. Quaenam corporis partes in nutriendo, secernendo, et excernendo praecipue officia sua praestent.

II. Quaenam oriantur mutationes in perversa vasorum actione sive inflammatione et quid in his nervorum actioni sit adscribendum.

III. Quantum inflammatio pro vario gradu differat.

IV. Quid diversa partium corporis structura contribuat ad inflammationes earumque sequelas moderandas.

V. Quid nervorum affectio morbosa valeat ad inflammationis cursum et solitos exitus mutandos.

VI. Quaenam sit structura novorum vasorum in novis creatis partibus et malis sic dictis parasyticis, et qua in re eorum decursus a naturali via deflectat.

I. *Quaenam corporis partes in nutriendo, secernendo et excernendo praecipue officia sua praestant.*

Nulla res in explicandis actionibus corporis humani tantopere physiologorum excitavit admirationem, pluribusve hypothesibus ansam dedit, quam quod ex uno eodemque latice tam multae substantiae eaeque diversissimae fiant. Licet hypotheses jam diu sint confutatae, quibus statu-

tuebant, omnia principia in sanguine fere praeparata adesse et pro diverso vasculorum minimorum lumine diversa quasi percolari, quam sententiam adhuc HALLERUS defendebat, tamen longissime abest, ut difficillimam hanc quaestionem rite dirimere valeamus; recentiorum enim experimentis constare videtur, non tantum diversa principia separari, quae in sanguine nondum adsint, sed nova elementa vis vitalis actione formari videntur: experimentis enim, ut exemplum adferamus, cll. FOURCROY et VAUQUELIN constare videtur in equorum et avium fimo plus adesse phosphatis calcis, quam ex alimentis possit separari; in avibus terra silicea, quae in alimentis sit, deleri videtur; in pecudum corpore soda plus adest, quam ex alimentis trahere possit, neque ferrum in sanguine ex alimentis assumtis bene explicari posse videtur; quam ob rem TREVIRANUS concludit in corpore vivo analyses et compositiones fieri, quae chemicorum nostrorum auxiliorum vires longe superant. (*a*)

Ex his satis jam patet, has actiones legibus physicis et chemicis nullo modo posse explicari, sed alias vires esse admittendas; has vero invenimus in nervorum actione et vi corporis vitali, quibus elementa junguntur, quae extra cor-

(*a*) TREVIRANUS Biol. Tom. IV pag. 617. sq.

corpus vivum separata tantum existunt atque substantiae novae proferuntur nulla arte proferendae; et revera nervis vasorum actionem quasi gubernari pluribus experimentis monstratum est.

Jam diu notum erat vasa etiam minima nervos comitari, et tamen, quantumvis cl. NUCKIUS (*a*) et postea BORDEU (*b*) jam demonstravissent, nervis ligatis secretiones perturbari, postea neglecta est haec observatio, usque dum recentior aetas haec extra dubium posuit. TREVIRANUS enim testatur nervis cujusdam membri dissectis motum et sensilitatem non tantum deleri, sed et circuitum sanguinis post aliquod tempus impediri, quin et tale membrum emori tandem (*c*). Cl. ENS observavit pulsum arteriae supprimi, si nervi ligentur (*d*), quod de HAEN de membris paralyticis etiam testatur (*e*), quin et ARNEMANN se observasse monet, sanguinem in vasis, quorum nervi dissecti sunt, plus nigrescere, quam sanum (*f*); KRIMER vero, cujus experimentis non magnam tamen fidem habendam esse dicunt (*g*), narrat venosum sanguinem in membro, cujus ner-

(*a*) Adenographia curiosa. Leid. 1692. pag. 16.
(*b*) Recherches anatomiques sur les glandes. Paris 1751. pag. 352.
(*c*) l. c. pag. 266.
(*d*) De causa vices cordis alternas producente. § 4, 5.
(*e*) Vid. LENHOSS. Physiol. tom. III, p. 458.
(*f*) Ueber die Regeneration der Nerven. p. 48.
(*g*) MECKEL, Archif für die Phys. 7 B. 3 Heft. p. 395.

nervi dissecti sunt, magis rubescere, arterioso haud absimilem (*a*); prae omnibus legi meretur et WILSON PHILIPS, qui nervorum dissectione secretiones et ipsam vasorum actionem turbari pluribus experimentis probavit (*b*).

Nervos nutritionem multum moderari praecipue e paralyticis patet, quorum membra tandem emaciantur, quod saepius mihi observare contigit; in duobus casibus paralyseos pedum diuturnae nervi ipsi crurales et ischiatici tenuiores mihi visi sunt, et saltem in uno cadavere faeminae natae 40 annos fibrillae nerveae pinguedine interposita a semet invicem erant seperatae; musculi cruris naturales erant, in tibia vero et pede magna musculorum erat emaciatio, eorumque fibrae pinguedine erant intextae pallidiorisque coloris; praecipue autem attentionem nostram excitabant vasa, inprimis arteriae, quae a poplite inde, omnes non tantum valdequam erant angustiora facta, sed et penitus osse incrustata ita, ut tubos ossis referrent potius, quam arterias, licet per reliquum corpus nulla vasorum ossificatio erat. — In altero cadavere tibiae musculi pari modo erant emaciati, et in hoc ca-

(*a*) KRIMER, physiol. Untersuch, p. 172.
(*b*) Gesetze der Functionen des Lebens.

cadavere arteriae in membris paralyticis licet minus angustae, tamen ossificationis initium ubique monstrabant; tunicae enim valdequam erant fragiles, et flava, spissa substantia, quae nondum in ossis naturam transierat, inter tunicam intimam et muscularem arteriae erat dispersa; arteriae crurales in utroque pede sanae erant et integrae. — Non semper vero nervorum actio impedita emaciationem musculorum et arteriarum ossificationem proferre videtur; in cadavere enim faeminae 30 annos natae, quae per 6 annos et ultra pedum paralysi laboraverat, nulla pedum erat emaciatio, vasa erant naturalia, nutritionis vero turbatae signa multa apparebant; musculi enim superioris corporis partis et brachiorum, naturales erant atque sani, ad primam vero lumbalem vertebram longissimus dorsi, musculi interspinales omnesque pedum musculi in speciem pinguedinis flavescentis degenerabant ita, ut glutei vix ullo modo nisi tendinum insertione a pinguedine cingente possent distingui; in recto cruris quaedam fibrillae per pinguedinem decurrebant; gastrocnemii naturalem fibrarum decursum sine ulla pinguedine conservaverant, sed flavi pallidique erant; pinguedine autem subcutanea ubique effusa nulla pedis emaciatio apparebat, quin et musculorum magnitudo non immi-

nu-

nuta visa est: in tribus his casibus in medulla spinali nihil mali nisi Hydrorachitidem et Arachnitidem medullae invenire potui. Formationem porro materiae animalis ejusque structurae nervorum vi et actione perfici mihi luculenter patuit in duobus monstris ovium, quae benevolentia P. HENDRIKSZ. Prof. chirurg. Groning. illustris, cultro anatomico ante aliquot annos subjicere licuit. In utroque medulla spinalis et nervi ex illis ducti ad ultimam vertebram dorsalem terminabantur, quae vertebra prorsus clausa medullae finem faciebat; caput caeterum thorax et intestina sana erant. In altero monstro pelvis cum duabus vertebris lumbaribus aderat, quarum cavum alia medulla spinalis cum superiori parte non cohaerens opplebat, ex qua iterum nervi ischiatici et crurales proficiscebantur; in hoc specimine ossa, musculi et vasa pedum bene erant conformata; in altero vero specimine pelvis exiguum rudimentum aderat sine ulla medulla vel nervis ex illa ductis; et licet pedes adessent, tamen ossa potius rudimenta ossium nondum formata dici poterant; neque musculi neque vasa neque nervi in pedibus aderant, sed potius telae cellulosae rubrae et sanguineae rudis compages illorum locum occupabat; quod argumento est, deficientibus nervis partes non rite formari potuisse; simile exem-

 plum

plum foetus, ubi deficientibus nervis nulli musculi aderant, narrat CLARKE (*a*).

Ex his concludimus nervos non tantum in vasa sanguifera et sic in circuitum sanguinis agere, sed et ipsam capillarium secretionem sive nutritionem partium nervis praecipue perfici et gubernari, non tantum habita ratione quantitatis, sed inprimis formationis et qualitatis materiae, quae secernatur: eandem fere sententiam in egregia sua Dissertatione exposuit cl. VAN DER BOON MESCH variisque argumentis confirmat (*b*). Pinguedinis autem secretio minus nervis pendere videtur, forsan quum materies animalis videatur omnium minime elaborata et forma omni orbata. Qui plura argumenta velit, TREVIRANUM consulat (*c*).

II. *Quid est inflammatio, quid nervorum actioni ad inflammationem excitandam et sustentandam tribuendum est.*

Si Medicorum opera pervolvamus, tantopere opiniones de inflammationis natura a se invi-

(*a*) Description of an extraordinary production of human generation- Philos. Transact. 1793 part. 2. Vid: VROLIK, Verhandeling over de zonderlinge misvorming eener vrucht. Verhandel. van het Koninkl. Instit. 2 aflev. p. 29.

(*b*) Diss. Inaug. de Nervo sympathico, *p.* 71 sq. et 74.

(*c*) Biol. V. th. 3 Abschnitt p. 407 sqq.

vicem novissimis etiam temporibus recedere invenimus, ut in tali dissensu vix aliquid certi statuendum videatur; non tantum enim opinionibus et argumentis, sed etiam experimentis sibi contrariis et oppositis propriam quisque sententiam defendere conatur. Quidam in vasorum expansione tantum inflammationis causam posuerunt, ut ruborem, tumorem aliaque inflammationis symptomata explicarent, inter quos BOERHAVIUS stagnare sanguinem opinabatur, ut vascula capillaria expansa sanguinem ulterius propellere non valerent; cl. CULLEN (*a*) vero spasmum vasorum minimorum inflammationis causam esse censebat; alii tamen, inter quos BURSERIUS primum locum occupat, recte perspexerunt, ruborem et sanguinis in vasa capillaria affluentis motum auctum tantum esse effectum, causamque altius esse repetendam, quam BURSERIUS ponit in stimulo, quo musculares fibrae vel et nervi vasorum minimorum irritantur, quo vascula validius velociusque contrahuntur et laxantur, qua de causa copiosior velociorque in eas, quam in reliquas partes, sanguinis oritur influxus (*b*). Taediosum foret et longum omnes opiniones de inflammatione adducere, quas cl.

LAN-

(*a*) First lines of the Pract. of Phys.

(*b*) Instit. Medic. pract. tom. 1, p. 32.

LANGENBECK in opere chirurgico fuse collegit (*a*): quasdam tantum observationes recensebimus, quibus inflammationis naturam illustrari credimus.

Experimentis praecipue recentioribus cll. WILSON (*b*), GRUITHUIZEN (*c*), HASTINGS (*d*), aliorumque Microscopii ope institutis constare videtur negante licet THOMSON (*e*), vasa capillaria durante inflammatione esse dilatata sanguinisque circuitum fieri tardiorem, ita, ut vasa capillaria, quae in sano statu lympham vel serum tantum vehunt, jam sanguinem admittant. Secundum BICHAT vasa capillaria sensibilitate sunt praedita, qua fit, ut vasa minima, quae serum tantum in sano statu vehunt, sanguinem respuant: sensibilitate partis affectae vero mutata ratio vasorum ad contenta etiam mutatur, quam ob causam vasa illa inflammata sanguinem admittunt, quae non nisi serum antea vehebant: in parte adeo irritata secundum illum auctorem sensibilitas increscit sanguisque post hanc capillarium mutationem copiosius advehitur et congeritur, usque dum sensibilitas ad statum sanum redire inceperit; haec igitur vasculorum congestio actio est

(*a*) Nosol. und Therap der chirurg. Krankh. tom 1.
(*b*) Ueber die Erkennt. und Cur der Fieber. 3 B.
(*c*) Medicin. chirurg. Zeitung. 2 B. 1811.
(*d*) Ueber die Entzündung der Schleimhaut der Lungen.
(*e*) Ueber Entzündung. 1 B.

est secundaria, inflammationem auget, quum sanguis vasculis capillaribus serosis sit stimulus insolitus (*a*). Argumentis vero cl. TREVIRANI aliorumque satis monstratum videtur, vasorum capillarium actionem nervis gubernari ita, ut verisimile nervorum actioni sint adscribenda, quae BICHAT e sensibilitate sic dicta *organica* explicare conatur, cujus argumenta contra nervorum in capillaria vasa actionem TREVIRANUS refutavit et ad magnam probabilitatis speciem opinionem adduxit, vim plasticam in parte inflammata auctam nervorum actione proferri (*b*). Prae aliis autem cl. LANGENBECK pluribus argumentis hanc opinionem stabilivit (*c*), eandemque sententiam fovet Doct. PRUS (*d*).

Alii vero aliam viam inierunt ad demonstrandam nervorum in inflammatione excitanda vim et efficaciam, scilicet magis eam experimentorum ope; inter quos Doct. KRIMER praecipue est nominandus, qui varia experimenta hac de re instituit, quibus se observasse testatur, inflammationem primo obortam in pede ranae post dissectionem nervorum pedis cessavisse et dein ir-

---

(*a*) Allgem. Anatom. 1 Theil. 2 Abth.
(*b*) Biol. V Band. p. 411. sqq.
(*c*) l. c. I B. 1 Abschnitt.
(*d*) De l'Irritation et de la Phlegmas. Par. 1825. p. 66. sq.

irritato licet membro non potuisse revocari (*a*); haec vero exprimenta in variis diariis ut et in diario cl. MECKEL a Doct. JAECKEL (*b*) acriter repugnata sunt, qui tanta dubia contra auctoris fidem attulit, ut ex his concludere nescirem. Experimenta vero cl. WILSON PHILIPS uberrime demonstrant, nervos in vasorum actionem magnam exercere efficaciam (*c*).

Ut autem me certiorem de his redderem, ipse sequens experimentum institui; canis junioris 6 vel 8 mensium 22 Dec. 1824 nervum ischiaticum et dein cruralem pedis dextri prope pelvim dissecui, quin et frustulum e nervo ischiatico, ne regeneratione concrescerent nervi, exscidi; jam in dorso pedis utriusque prope tibiam cutis plagam fere pollicis dimidii diametri feci, quod vulnus in utroque pede dein oleo Therebinthini humectavi, ut inflamationem cierem; licet nervum ischiaticum bene dissecuissem, tamen quaedam pedis mobilitas remansit ita, ut musculum tricipitem adhuc movere posset, quam ob rem unum alterumve nervulum non fuisse dissectum suspicabar, quem tamen invenire non potui; pes ipse vero sub tibia prorsus paralyticus erat. —

(*c*) Physiolog. Untersuchung p. 163. Exp. 20, 21, 22.
(*d*) Archif für die Phys. VII B. 3 Heft. p. 395.
(*e*) Versuche über die Verrichtungen des Lebens.

erat. — Simul sub operatione observabam arteriam cruralem leviter vasis vasorum pluribus rubescere, simulac vero forcipe tangeretur, ut irritationem facerem, tota arteria pallescere incipiebat, vasis vasorum contractis, quae tamen cito novum sanguinem admittebant, rubore redeunte, quod argumento est, vasa capillaria revera esse irritabilia, quod ex aliorum experimentis abunde jam constat.

E vulnere in dorso pedis paralytici inflicto primo paucae sanguinis guttulae effluebant, quae exigua haemorrhagia cito sponte sistebat, in pede sano stillicidium sanguinis longe diutius continuabat; duas horas post operationem canis alimenta devorabat et sanus videbatur, nisi quod pede dextro instare non poterat.

Sequenti die vulnus pedis paralytici erat siccum longe magis quam in sano; parva tamen quantitas lymphae coagulabilis in inferiore margine exsudata erat. Jam de tempore in tempus utrumque vulnus comparabam usque ad 13 Jan. eo eventu, ut vulnus pedis sani longe majora inflammationis signa exhiberet; suppuratio enim oriebatur, et in fundo vulneris carunculae rubrae oriebantur; in pede paralytico fere nulla inflammatio, tamen lympha coagulabilis alba exsudabat et exsiccando concrescebat, vulnerisque color erat multo pallidior.

Jan.

Jan. 15 cane mortuo vasa sanguifera cera tenui inplevi, ut inflammationem si quae facta esset, melius dignoscerem; secando patuit ramulum nervi ischiatici longe postrorsum decurrere, ut visui sese subdidisset, qua de causa dissectus non fuerat; hic nervulus ramos dabat tricipiti aliisque cruris musculis; inde factum est, ut hi durante vita motum conservavissent; alter ramulus exiguus arteriam et venam popliteam comitabatur usque ad inferiorem tibiae partem; hic loci fere pollicem supra vulnus inflammatio insignis fuerat, qua induratio, pisi magnitudine, formata erat, quam nervulus et vasa penetrabant; nervulum vero ulterius persequi non potui, quum in tumore delitescere et terminari videretur; vulnus in pedis dorso crustis lymphae coagulabilis tectum erat, cutis margines nullam adhuc mutationem subierant, neque tumebant; fundus vulneris fere cartilaginea erat substantia, pallida, dura. — In vulnere pedis sani margines cutis tumebant, vulnus minoris erat ambitus, fundus rubescens vasculis minimis cera inpletis obsitus et mollior. —

Licet concedamus hoc experimentum nondum sufficere ad thesin probandam, quum ramulus nervi non sectus fuerat, tamen ex omnibus liquet, reliquorum nervorum dissectionem, inflammationem in pede orituram cohibuisse; vulnus

vulnus enim mitiorem inflammationem in pede paralytico excitaverat, quam in pede sano; praecipue vero in pede paralytico memorabilis mihi visus fuit tumor inflammatione natus paulo supra vulnus, quem tumorem ramulus nervi adibat; nam probabile mihi videtur hunc ramulum irritatione trunci irritatum illic loci inflammationem excitasse, cujus exitus fuit non suppuratio, sed qua species quasi cartilaginis nata est; atque idem de vulneris fundo cartilagineo valet, a vulnere pedis sani suppurante satis diverso; quod omne argumento sit, nervorum irritationem moderatam fuisse inflammationem. — Ex nervorum conditione morbosa quotidiana observatio explicari potest, in pluribus morbis, typho, aliisque, in quibus vita extingui incipit, vesicantia nihil boni praestare, ne agere quidem amplius, nimirum quia nervorum vis et actio adeo languent et exhausta jacent, ut stimulum vix aut nihil sentiant, neque ad inflammationem vasa sufficienter incitent, licet pulsus frequentia adhuc vasorum irritationem non penitus deletam esse indicet. — Pluribus quidem experimentis haec essent probanda; ad quae rite instituenda nobis otium defuit; sufficere vero haec credimus, ut cum cl. LANGENBECK concludamus, vim nervorum propriam, quae nutritionis actum adjuvat et promovet, etiam concurrere ad gluti-

nanda vulnera. — Haec glutinandi vis nervorum in inflammatione orta adeo efficax est, ut materies ad nutriendum veluti destinata, jam copiose et luxurians exsudet sub forma lymphae coagulabilis, quae dein structurae singularis fit, et pseudomembranas texit, in quibus postea nova vasa nervique generantur (*a*).

III. *Quantum differt inflammatio pro vario gradu et exitu.*

Inflammationes quam maxime pro vario gradu, decursu, et exitu differre quotidiano constat usu; quoad gradum dividi eas in sthenicam vel asthenicam, quoad exitum in resolutionem, exsudationem lymphae, suppurationem et gangraenam, quoad decursum in acutam et chronicam, non opus est, ut multis disseramus.

Prima inflammationis divisio est in stheniam et astheniam; de priori supra jam satis monuimus, de posteriori asthenia auctores plurimi dissentiunt, eo magis cum inflammatio vera viribus vitalibus fractis vix exsistat; secundum LANGENBECKII sententiam nulla inflammatio ex debilitate oritur (*b*); videtur autem esse conditionem, quae inter congestionem et inflammationem fit, qua

---

(*a*) Nosol. und Therap l. c. p. 80.

(*b*) l. c. p. 217.

qua vis vitalis quidem mobilior sit, levius in motum erumpat, sed simul inertior, nec robore actum suum sustineat, ita ut citius partium vita langueat, exhauriatur, et gangraena accidat; sanguis, uti notum est, in hoc casu non crustam tenacem format, sed tenuior fluit, et licet crustae species aliquando oriatur, tamen dissoluta fere videtur, et indicat sanguinis naturam plasticam esse diminutam.

Quod exitum attinet, primus est resolutio; diminuta scilicet nervorum actione, qua nutritionis actum adjuvat, et vasorum capillarium aucta irritatione sedata, deminuuntur etiam inflammationis symptomata, nempe calor, rubor, turgor et dilatatio vasorum tolluntur. — Cum exsudationem lymphae coagulabilis memoremus, vasorum novorum origo nostram attentionem meretur. Haec secundum GRUITHUISEN exorditur secretione globulorum sanguinis informium (unförmlichen); in pluribus enim locis puncta rubra prodeunt, quae increscunt et ramos radiorum instar divaricantes ad latera emittunt, qui cum ramis vicini puncti anastomosin formant, qua rete fiat; plerumque autem vascula capillaria crassiora formantur, in quibus sanguis moratur et stagnat, usque dum propulsione et incremento vasculi aliud vas capillare apertum offendat, cum quo concrescit, qua ratione concretiones tandem

et pseudomembranae generantur et increscunt (*a*).

Has concretiones indagans observavi plurima in illis inesse vascula, quae facile cera implevi, eaque cursum rectum nullis ramis factis saepius servare; quantam vero operam instituerim, mihi nondum contigit haec vascula subtiliori materia implere, quamdiu exsudata pars v. c. cordis vel pulmonis superficiei nondum cohaesisset cum proxime opposita v. c. cum pericardio vel pleura costali, sed libere adhuc et soluta in sero vel pure, ut fibrillae, circumferretur. — Microscopii vero adjumento observavi in exsudatâ lympha pleurae pulmonalis, adhuc molliori et gelatinosa, nec cum pleura costali cohaerente, plurima inesse vascula, sed tenerrima et adeo exigua, ut vix $\frac{1}{20}$ vel $\frac{1}{30}$ capilli diametrum aequare possent, eorumque lumen ad globulum sanguinis continendum esset impar; horum vasculorum quaedam hic illic obtuse terminari videbantur, ut circuitus absolutus in illis nondum fuisse videretur; minime vero credimus, vasculum tale novum cum alio vasculo capillari partis oppositae, sed vetusto, et jam ante inflammationem praesenti, conglutinari, sed a partibus si-

(*a*) Medicinisch Chirurg. Zeitung. 2 Band 1811. cf. etiam in opere cl. LANGENBECK. l, c. p. 60.

sibi oppositis, v. c. a pulmone et pleura costali simul lympha exsudatur, et ab utraque parte nova vascula generantur, quae sese offendunt et connata concrescunt.

DÖLLINGER vult primo globulos sanguinis in lympha coagulabili liberos sine tunicis profluere et rivulos sanguinis formare rivulorum per arenam profluentium instar (*a*). HOME idem fere phaenomenon observasse testatur (*b*), quod si confirmetur, eo facilius comprehendi potest, quomodo vascula nova sive rivuli sanguinis ab oppositis partibus profluentis confluant et tunica formata conjungantur novumque vas constituunt. — Alter inflammationis exitus, qui priorem saepius sequatur, est formatio puris, materiae novae, corpore sano numquam prolatae; pus autem non adeo spissum secerni videtur, quale in vulneribus invenimus; invenit enim vir cl. BRUGMANS, pus tanquam liquidum limpidum serosum secerni, si ulcus suppurans abstergatur, sero autem absorpto, pus spissius fieri (*c*).

Hi vero exitus in natura adeo separatim nequaquam accidunt, quales nos illos vulgo distinguimus: nam inflammata parte quadam, non omni-

(*a*) Was ist Absonderung und wie geschieht sie? cf. etiam LANGENBECK l. c. p. 97. sq.

(*b*) MECKEL Archiv. V Band. 3 Heft. p. 380. sqq.

(*c*) Dissert. de puogenia. p. 114. sq.

nibus locis aequalis inflammationis gradus est; conspiciamus modo furunculum; in initio oritur titillatio, dolor, levis rubedo, vasa capillaria sanguine opplentur et expanduntur; cutis in medio tumet et lympha coagulabilis in tela cellulosa deponitur, quo tumor durior redditur; tandem in medio oritur suppuratio, licet vasa vicina non pus, sed lympham coagulabilem exsudare pergunt, eo magis serosam, quo longius a foco vascula distant, dum ambitus levi rubedine et vasorum potius congestione terminatur.

Idem in vulnere fieri videtur; si enim pus secernatur, simul plura vascula lympham coagulabilem exsudant, qua carunculae formantur, quae magis magisque protuberant et vulnus glutinant. Ultimus exitus est gangraena, quando viribus vitalibus exhaustis vasa sanguifera sanguinem non ulterius propellunt, et moriuntur; quo in casu THOMSON vasa sanguifera aliquando lympha coagulabili impleta, aliquando inflammatione concreta invenit (*a*). Nos observavimus hanc vasorum concretionem saepius fieri et praecipue quidem in ulceratione chronica. Vasa ipsa tunc inflammantur et concrescunt, vasa vasorum autem vasi obsoleto adhuc aliquamdiu ali-

(*a*) MECKEL Archiv. 1 B. 2 H. p. 448.

aliquid nutrimenti adferunt; his vero etiam clausis, vas cum parte, quam adit, non amplius nutritur, emoritur, et in gangraenam abit aut pure emollitur; haec gangraena magis localis est, lentius proserpit et in ulceribus carcinomatosis et vomica pulmonum aliisque accidit.

Magni autem momenti est divisio in inflammationem acutam et chronicam; praecipue quum chronica inflammatio adeo frequenter occurat et gravissima in corpore mala generet, licet non semper tanta symptomata ostentet, ut facile percipi possit; desunt enim saepe symptomata doloris, caloris, quin et aliquando ruboris, neque melius describi posse mihi videtur, quam nutritio localis nimia et morbosa; ubique ubi novi quid proferatur et formationes lentae in corpore generentur, chronica haec inflammatio adest, de qua uberius in sequenti sectione, scilicet:

IV. *Quid diversa corporis partium structura contribuat ad inflammationem ejusque exitus moderandos.*

Ex Physiologia cognovimus arterias pro diversa partium natura diversas secernere materies. Systema serosum serum secernit, periostium ossa nutrit, atque sic reliqua singularem materiem. Omnes hae partes peculiaris structurae

sunt, aliae majoribus pluribusque, aliae paucioribus vasis illisque exiguis sunt praeditae; aliae partes nervis pluribus, aliae vix ullis instructae videntur; e quibus sequitur inflammationem non eundem in omni corporis parte decursum servare posse. — Vidimus inflammationem nervorum actione gubernari et vulgo lympham coagulabilem exsudari; non autem uno momento inflammatio oritur, sed pedetentim eoque lentius, quo plus chronica sit; hanc ob causam inflammationis productum eo minus a normali secreto differt, quo minor inflammationis gradus est, vel quo minus vasorum aucta vis in organon cadat; sic ex: gr: peritonei et pleurae vasa serum exsudant in statu sano, si vero haec organa inflammantur, non statim lympha coagulabilis secernitur, sed seri exsudatio oritur profusior, quod serum eo majorem lymphae coagulabilis quantitatem in se continet, quo inflammationis gradus magis increverit; in ascitide v. ç. aliquando serum paracentesi educimus limpidum, aliquando vero lympha coagulabili ditissimum, ut sibi relictum paulo post concrementa et pseudomembranarum species in illo frigore formata non raro observaverim; si tandem in tali organo ad suppurationem pervenit inflammatio, pus non est spissum, sed lymphaticum, serosum, fluidum, uti in febre puerpera-

rali vulgo fit ita, ut magis minusve organi characterem proprium inflammationis progressu adeo mutatur, ut non amplius membrana serosa maneat, sed novae structurae fiat, quando pus spissum secernitur: novum tunc formatum est organon, quod semper sibi aequale videtur. — Cutis actione aucta primo sudor oritur, si jam vesicans apponatur, exsudatio seri oritur, lympha coagulabili scatentis, qua sudor prorsus caret, et tandem inflammatione increscente cutis adeo a normali statu recedit, tam quoad structuram intimam, quam vis vitalis gradum et actionem, ut neque sudor neque serum lymphaticum amplius, sed pus secernatur.

Nihil magis autem dicta confirmat, quam periostii inflammatio, cujus membranae in secernenda et formanda ossea materie vis satis constat; si vero haec membrana fibrosa inflammatione chronica afficitur, non serum, sed osseam materiem gignit, quod ex exostosi et tophis siphiliticis satis patet; in acuta vero ejus inflammatione aliquando lympha quidem profertur, sed haec in callum et dein in os vertitur, chronicae enim inflammationis exitus diutius conservant organi affecti characterem et indolem. — Quidam auctores inflammationis differentiam in variis organis e diverso vasculorum lumine et copia explicare conantur; et revera

musculorum vasa capillaria sanguinem, tendinum vero et membranarum serosarum et fibrosarum vasa serum tantum vehere videntur (*a*); musculorum autem inflammatio citius, organorum vero, quae capillaria serosa minora continent, longe tardius in suppurationem transeunt, sed potius exsudant serum vel lympham coagulabilem; credimus autem organi irritabilitatem nervorumque copiam, seu vitam, quam vocant organicam in musculis superiorem hanc inflammationis differentiam potissimum constituere; sic et pleuram costalem saepius in suppurationem transire, quam peritoneum observavi, sed etiam pluribus iisque majoribus vasis capillaribus esse praeditam, tam injectiones artificiales quam autopsia Microscopica me docuerunt (*b*).

Al-

(*a*) Hoc praecipue mihi patuit ex intestino tenui, in quod felicissime liquorem subtilem injeceram, in quo fibrae tunicae muscularis materia injecta subtilissima prorsus rubrae coloratae sunt; Microscopio adhibito hae fibrae musculares parallelae singulae rubebant, ac si materia coloranti essent impletae, ita ut materies subtilissima in ipsa vascula nutritiia ultima sine ulla extravasatione, ut dicunt, penetrasse videretur; peritoneum cingens vascula quidem capillaria, sed longe minori numero continebat; praeparatum hoc egregium in spiritu vini conservo.

(*b*) Miror sane RUDOLPHIUM virum cl. vasa capillaria serosis membranis omnia denegare potuisse (1); consentio quidem cum eo a pleura injecta uti et peritoneo tenuissimam membranam superficialem posse detrahi, in qua vascula minus fa-

(1) Grundriss der Physiologie 1 Theil p. 101. sq.

Altera memorabilis est qualitas, quod partes vicinae, sed structura et actione diversae raro si-

facile arte inplentur; conservo vero peritonei tenuissimam laminam, ubi intestina tegit, in quo vasa sanguifera arte impleta conspici possunt; porro Microscopio egregio in pleura, peritoneo, quin et arachnoidea, praecipue ubi medullam spinalem investit, vascula plurima tenuissima, quae vix $\frac{1}{30}$ capilli diametri aequare poterant, admodum dilucide perspexi, quae vascula serpentino ductu parallela decurrunt, et omni parte vasculorum formam referunt, quae ZINNIUS adeo eleganter depinxit in vasculis processus ciliaris (1); quin et in uno casu arachnitidis quaedam vascula minutissima per arachnoideam, pontem Varolii investientem arte implere contigit, quod praeparatum conservo. RUDOLPHI porro, testatur inflammationem serosarum membranarum referendam esse ad partes subjacentes; quod assentire, pace viri clarissimi, nequaquam possum; sub pleura vehementer inflammata musculi intercostales sani manent, et nullum inflammationis indicium monstrant; in pericarditide non difficile est, pseudomembranam a cordis superficie detrahere, ut membranam peculiarem referat, quale exemplum in spiritu vini conservo qua membrana detracta pericardium cor investiens nudum redditur, hic illic subrubellum, ceterum aeque atque in sano statu cor investit; tenuissimis autem filis et vasculis exiguis hanc pseudomembranam pericardio esse affixam detractio prudens plus semel me docuit; cordis fibrae musculares sub pericardio inflammato positae nullum inflammationis indicium exhibebant: haec nova itaque vascula et ipsam pseudomembranam pericardii ipsius inflammationi, et non partis subjacentis esse adscribendam certo credimus; membranae porro serosae ex duplici membrana constare videntur, saltem in pleura costali et peritoneo, tam ubi diaphragma, quam ubi hepar, renes, intestina, aliaque organa tegit, non adeo difficile est, illas secedere; altera superficialis glabra, altera magis cellulosa est; haec vasculis pluribus praedita est, quorum ramuli minores in membra-

(1) Vid ejus Tractat. de Oculo. Tab. 2. fig. 3. litt. a.

simul eodem inflammationis gradu afficiantur; pleurae costalis inflammatio quin et suppuratio musculos subjacentes non afficit, ita ut, detracta tali pleura morbosa, musculi sani appareant; peritoneum inflammatum musculares intestinorum fibras vel tunicam mucosam in suum malum non semper trahit; et e contra in enteritide vel et sola mucosae membranae inflammatione, saepe peritoneum integrum et sanum offendimus; luculentius hoc conspici potest in peritonei hepar investientis inflammatione, hepatis ipsius stuctura manente integra.

Partes vero ejusdem naturae facilius et frequentius in consensum rapiuntur, pleuritis peritonitidem saepe gignit, saltem in chronica inflammatione, et vice versa.

Cutis affectionem morbosam v. c. perspiratione refrigerio impedita, non raro membranae mucosae intestinorum vel et pulmonum inflammationem, magis minusve gravem, post se trahere, satis notum est; Hydrothoraci Hydrops arachno-

branam externam transeunt; in pleura costali membrana intima sub Microscopio posita plures mihi globulos monstrabat, quos tamen a pinguedine formari suspicor, hujus membranae vascula majora sunt, ramosque plures divaricantes edunt, membranae vero superficialis vascula parallela subtilissima; notandum vero, ad haec vascula conspicienda Microscopii speculum ita esse ponendum, ut clara lux membranulam non transeat; ob pelluciditatem enim tunc minus distingui possunt.

noideae, ut sectiones cadaverum me docuerunt, non raro accedit, quod postea uberius exponemus; videtur hanc sympathiam a similiori partium irritabilitate et vis vitalis actione, quam vocant, organica nasci. Si vero partes diversae structurae et actionis una eademque inflammatione simul afficiantur, haec inflammatio differt pro varia partis affectae irritabilitate et vasorum numero; sic conservo specimen renis suppuratione fere consumti, in quo vasa capillaria egregie cera impleta sunt; substantia renis post suppurationem superstes rubet ubique vasorum multitudine, peritonei autem, quod renem investit, pauca tantum vascula capillaria cera impleta sunt, neque in suppurationem transiit, sed crassius factum est saltem ad 3 linearum diametrum; in hoc igitur specimine inflammatio eadem in renis substantia suppurationem produxit, dum in peritoneo cingente exsudationis lymphaticae gradum, quo incrassatio fiebat, non superavit. Eandem ob causam in pulmone suppuratione vel vomica consumto pleuram superstitem crassiorem invenimus, pluribus pseudomembranis et vasculis novis tectam; jam verbo mentionem fecimus de pericarditide cordis fibras musculares non afficiente; habeo tale specimen, in quo pericardium adeo pure expansum fuit, ut maximam thoracis partem impleret, pulmonesque-

que tantopere compresserat, ut aperto cadavere vix possent conspici, et ipsum thoracis cavum expansum esset et dilatatum; tamen cordis fibrae musculares nullum inflammationis signum exhibuerunt. — Itaque concludimus diversum inflammationis gradum non tantum a diverso stimulo, sed etiam a diversa organorum textura et irritabilitatis gradu, a vis vitalis efficacia, quam organicam vocant, esse derivandum, et in affectione chronica praecipue vel et leviori inflammatione natum humorem et texturam maxime differre pro varia partium actione, qua sanae quaevis diversas materies secernant. — Hac consideratione praecipue illustrari credimus novas texturas et effusas et contentas morbo materies quae in cadaveribus tam saepe offendimus; incipiamus a simplicioribus.

Non raro invenimùs ossicula vel calcis concrementa in pulmonibus, glandulis bronchialibus, pleura, peritoneo, mesenterio, utero aliisquė locis. Eorum structuram examinans semper inveni, omnia illa sacculo arcte includi, sive periostio quodam; quae nova membrana omnes membranae fibrosae proprietates simulat; hinc concludimus chronica inflammatione, vel si mavis, reproductione morbosa membranam fibrosam primo fuisse formatam, qua semel facta, novum organon exortum est, quod actiones proprias

per-

peragit osseamque vel calcaream materiem periostii instar secernit; in quibusdam enim talibus sacculis vel membranis ea calcis materies nondum satis concreta mollior erat, ut cretam cum gummi quodam vel lympha commixtam referret, magis magisque adeo concrescit, uti callus in ossium generatione: non raro mihi contigit, in tali cretacea materie ossicula dura reperire. An igitur a diverso inflammationis gradu vel reproductione cujusdam partis propria omne phthiseos calcareae discrimen a tuberculosa dependeat? Aliae quoque membranae fibrosae ejusmodi ossis generationem adjuvant; in arteriarum v. c. ossificatione primo materies spissa subgrisea inter tunicam intimam et muscularem fibrosam deponitur, deinde haec concrescit et fit os. Simile accidit in gignendo osteosàrcomate v. c. uteri; hujus enim textura primo mollior sed fibrosa est, fibris pluribus albis pertexta, et vasculis exiguis ceram admittentibus plena, uti ea injiciendo didici; postea haec textura tenacior et durior fit, ut periostii naturam adipisci videatur; deinceps tempore hic illic puncta ossis formantur, et continuo increscunt ita, ut omnis textura tandem ossiculis sit referta. — Possideo tale specimen; in quo tria osteosarcomata in uno utero diversa adsunt; in medio utero minimum est, quod nulla ad-

adhuc ossis concrementa monstrat, sed mollius est fibris albis pertextum; in inferiore uteri parte prope ostium alterum majus est, in quo hic illic ossis puncta adsunt; maximum vero in fundo uteri haeret, idque ossiculis duris adeo repletum, ut non nisi serrae ope hoc osteosarcoma discindere potuerim. — Nervorum vero actioni etiam in hac productione, uti in omni inflammatione et formatione materiae, plurimum adscribendum esse suspicor: nam magnitudo hujus vitii nihil refert ad qualitatem vel texturam; in ingentis enim talis osteosarcomatis uteri specimine, cujus vasa cera subtiliter impleta sunt, ubique illa textura fibrosa apparet, et licet capitis infantis neonati magnitudinem longe superet, tamen ossis concrementa nulla adhucdum formata sunt, quae in aliis vix pisi magnitudinem aequantibus saepe occurrunt; itaque in illo specimine modus auctus est, qualitate et textura non mutatis, quod a nervorum actione organica deducendum supra vidimus; atque hic etiam reserendae sunt observationes de ossificatione arteriarum in membris paralyticis, de qua supra mentionem fecimus. Unum vero ossificationis speciem invenimus, quae cum allatis minus convenit; est ossificatio Arachnoideae, quam aliquando cum arachnitide praecipue in Epilepticis reprehendimus; haec ossicula

jam

jam durae meningi punctis quibusdam adhaerent, jam minus; plerumque piae meningi leviter agglutinata sunt, licet in arachnoidea haereant. Semper vero inveni juxta vas sanguiferum majus piae meningis tale ossiculum esse positum (*a*); haec ossicula periostio carere videntur, saltem eorum membrana adeo tenuis et mollis est, ut vix ejus nomen mereatur, ipsâ arachnoideâ tamen est crassior; neque e vase sanguifero, cujus parieti vulgo adhaeret, excrescere mihi visum est (*b*). Atque cum aliquot diversa ossiculorum exempla de tempore collegissem, ut eorum indolem et varietatem accuratius cognoscerem, quod omnino operae pretium mihi videbatur, adii ad virum cl. VAN DER BOON MESCH, in illustri Athenaeo Amstelodamensi Historiae naturalis et Chemiae Professorem rogatum, ut ossicula chemice exploraret, atque experimentorum eventum mihi referret. Quod cum facile a viro amicissimo impetraverim, jam ossiculorum indolem et varieta-

(*a*) Vide de his ossiculis SANDIFORT in Observ. anat. pathol. libr. III. cap. 2.

(*b*) In ossificatione insigni arachnoideae medullam spinalem investientis plures laminae ossis aderant; quaedam vero cartilagineae flexibiles, ut nondum ossis duritiem adeptae essent, quaedam laminae firmiter cum dura meninge, aliae vero neque cum illa, neque cum pia meninge cohaerere videbantur; paucae tantum vasi sanguifero agglutinatae erant.

tatem brevibus memorabo; eorum et aliorum concrementorum, in quibus sunt, quae nondum explorata sunt, analysin ipse communicabit vir cl.

Ossicula arachnoideae constabant majori parte subcarbonatis calcis, tum phosphate calcis, aliquo glutine et tela cellulosa.

Ossicula durae meningis plus phosphatis calcis, quam subcarbonatis calcis habebant, aliquid glutinis, et telam cellulosam tenaciorem.

Calculus bronchialis major et durior majori parte phosphatis calcis, exigua subcarbonatis calcis, tantillo glutinis et tela cellulosa compositus erat.

Calculus bronchialis niger constabat subcarbonate calcis, phosphate calcis, glutine concreto, particulis carbonicis et exigua tela cellulosa.

Calculus pulmonis niger constabat majori parte subcarbonatis calcis; exigua parte phosphatis calcis, tantillo phosphatis magnesiae, magna parte muci concreti, particulis carbonicis et tantillo telae cellulosae.

Ossiculum uteri durum compositum erat longe majori parte phosphatis calcis, aliqua subcarbonatis calcis, phosphate magnesiae, tantillo glutinis et telae cellulosae.

Si exceperis calculum pulmonis, et forte ejusmodi specimen nondum analysi subjectum fuit, reliqua ossicula videbantur viro cl. nunc primum explorata fuisse.

Ita-

Itaque egregie hac analysi dicta confirmantur de natura membranae ossicula cingentis, quae periostii vices gerere nobis visa fuerat: osteosarcoma enim uteri arcte membrana fibrosa investitur, sed et majori parte phosphate calcis constat et omnium maxime ad ossium naturam accedit; idem de calculo bronchiali valet; calculus pulmonis sacculo vel membrana quidem inclusus fuerat, sed pro parte illi tantum adhaerebat, pro parte materie molliori nigra cingebatur, longius vero ab ossium natura jam distabat; ossicula arachnoideae membrana tenuiori molliori cingebantur, quae a fibrosarum membranarum natura longius recedebat, sed etiam minorem phosphatis calcis quantitatem continebant; ossiculum vero durae meningis, licet externo adspectu illis simillimum, plus phosphatis calcis habebat, ossiumque naturam magis referebat, sed et in membrana fibrosa scilicet dura meninge excreverat, quae fibrosa est et periostii officio in cranio fungitur.

Pulchre cum dictis conveniunt, quae cl. BETSCHLER de malis parasyticis proposuit (*a*); dicit enim ea proxime convenire cum organo, in quo crescunt; sic v. c. osteosteatomata tantum in periostio, tumores cysticos in organis cel-

(*a*) Rust Magasin. XVI B. 2 H. p. 193. sqq.

cellularibus, varicem in cute, ganglion in tendine, polypum in membrana mucosa, scirrhum e glandulis fieri; neque unquam polypum e glandula vel scirrhum ex osse provenire. — Pari modo horum structura cum fundo, in quo crescunt, convenit; textura osteosteatomatis ossis, scirrhus glandulae texturam refert, polypi laxi cum membrana mucosa conveniunt, cutis structuram in varicibus, cellularum texturam in lupiis et tendinum in gangliis invenimus; sic etiam eorum natura pendet a parte, in qua crescunt; polypi, tumores cystici, varices per annos, vel semper sine periculo adesse possunt, quia vitia partis, e qua originem petunt, reliquum corpus minus afficiunt; quod de scirrho et carcinomate minime valet; nam sicuti glandularum ulcus chronicum vel magnum, licet e localibus causis ortum, cito totum corpus afficit suumque virus quoquoversum dispergit et dyscrasiam infert, sic etiam scirrhus vel ex eo degenerans carcinoma pedetentim totum corpus pessime afficit, et tandem nulla prorsus locali medela compescitur.

Inflammatione chronica vel nutritione perversa haec vitia generantur, quam ob rem eandem quam pars, e qua originem petunt, tenent naturam, eandemque consensus legem sequuntur, qualem in membranarum, praecipue serosarum, inflammatione supra demonstravimus.

V. *Quid*

V. Quid nervorum affectio morbosa valeat ad inflammationis cursum et solitos exitus mutandos.

Inflammationem non semper cursum sibi aequalem servare, sed a solito progressu saepe deflectere, ita ut alieni magis morbosique humores et textura fiant, cuique notum est; nervorum actionem turbatam tanquam causam hujus vitii primam habendam esse probabile mihi videtur. In sano corpore haud raro videmus animi affectibus secretiones perturbari morbosasque reddi; ira vehementi lac, alimentum blandum illud, citissime corrumpi, aliquando in venenum tenellis infantibus lethale verti; eodem animi pathemate salivam canis, quin et hominis aliquando venenatam reddi; et morsu galli gallinacei pugna irritati terribile malum hydrophobiam illatum fuisse, sicuti auctores testantur (*a*). Non minor est nervorum affectionis morbosae vis et efficacia in inflammatione moderanda; multiplici enim observatione satis constat, suppurationem benignam solo animi pathemate in malignam, ichorosam degenerare: inter plures casus, quos affert cl. VERING in suo libro (*b*), praecipue memorabilis est historia vi-

(*a*) VITRINGA GOULON Diss. de mutata humorum indole. p. 72. sq.
(*b*) Psychische Heilkunde. Leipz. 1817. 3 Th.

viri in brachio vulnerati, quod vulnus, postquam optime sanari inceperat, subito moerore, quin et desperatione exorta longe pejus reddebatur; loco puris ichor effundebatur, vulnerisque margines reflexi pallidi malum exitum ominabantur; jam vero alloquio blando et solamine erecto animo, subito vulnus rubicundum fiebat, leviter tumebat et cicatrice facta, mature ad sanitatem perveniebat (*a*). Simile exemplum narrat cl. LANGENBECK; scilicet post operationem levem mane vulnus erat naturae optimae, vespere vero febris gravis accesserat, et gangraena in vulnere, quas mors subito insequebatur; inventae literae a patre conscriptae et aegro, facta operatione, allatae, quibus monebat filium, ut operationem non pateretur, quum semper lethalis esset, corruptionem vulneris, tam cito lethalem factam, satis explicabant (*b*). — Non solum vero animi pathematibus, sed etiam morbis typho, febribus gastricis, aliisque vulnera bene suppurantia subito mutantur, ita ut saepe observaverim, pus citissime his malis obortis in ichorem converti, immo gangraenam fuisse natam; eandem ob causam phthisici, qui vomica pulmonum laborant, gravius et anxie de pectoris ma-

(*a*) l. c. II Th. p. 235.
(*b*) Nos. und Ther. der Chir. Krankh. I Theil. p. 2.

malis queruntur, omniaque mali symptomata exacerbantur, si gastricae vel biliosae febres accedant; quibus morbis ulcera pedum latius serpere et pejora reddi, quin et in gangraenam abire, non raro observavi, eaque mala uno aliquando emetico tolli; hanc malignam secretionem in ulceribus e nervorum morbosa actione explicamus; quam nervorum vim in effundendo ichore ulterius confirmat observatio, quam narrat doct. COULON, scilicet cujusdam ulceris, quod ad mortem usque putridissimae saniei magnam copiam fundebat, post mortem adhuc liquorem stillabat, sed nullius mali odoris, quod vir acutissimus optime e silente post mortem vis vitalis efficacia explicat (*a*).

Quae si applicemus malis sic dictis parasyticis uti carcinomati aliisque, non mirum est, ex illis malis non bonum pus, sed ichorem tenuem, foetentem, acrem exire; scirrhus enim in initio vix aliud esse videtur, quam plastica, ut dicunt, in glandulis secretio; earum vero nervuli morbose affecti, vasorum actionem non ita gubernant, ut in sanae partis inflammatione contingit; si itaque scirrhus tandem in carcinoma abeat, id est, quod inflammatio gravior et acutior oriatur, non aliter potest, quin in fundo tam malo non recte fieri et procedere possit inflam-

(*a*) Diss. laud. p. 50 et 58.

flammatio; nervos enim ipsos in scirrho et carcinomate inflammatione occupari et vel rigidos et duros fieri vel suppuratione vel et gangraena adfici accurata anatomica investigatio me omnino docuit. — Quod argumentum, describendo et depingendo praeparata hunc in finem confecta, sequenti tomo tractare in animo est; jam vero haec sufficiant ad illustrandum, cur nervi inflammati et male affecti vel degenerati vasorum actionem tam male gubernent, ut loco puris ichor acerrimus secernatur. Nunc hoc addam, quae dixi, confirmari observatione viri in paucis magni BRUGMANSII, qui vidit ulceris magni, quod in initio pus bonum ferebat, postea partem inferiorem ichorem foetidissimum effudisse, superiorem vero adhuc pus benignum fecisse; in illa igitur inferiore parte, quae etiam colore livido, duritie, et scirrhi indole distinguebatur a superiori, indoles liquoris effusi differebat, ratione structurae degeneratae a pure in parte superiori effuso (*a*); quod a nervorum vi et actione magis morbosa in vasa sanguifera deducimus. — Eadem quoque ratio videtur, cur scirrhus, cum dudum idem manserit, animi pathematibus moerore aliisque tam cito saepe in carcinoma abeat (*b*). Tan-

(*a*) COULON Diss. laud. p. 54. sq.
(*b*) COULON Diss. p. 66.

Tandem, ut his finem imponamus, exponendum, venit.

VI. *Quaenam sit structura novorum vasorum in novis creatis partibus et malis sic dictis parasyticis, et qua in re eorum decursus a naturali via deflectat.*

Supra jam quaedam de ortu vasorum novorum monuimus; injectiones autem artificiales nos docuerunt, illa vascula ab aliis plerumque multum differre; vulgo enim vix ramos emittunt, et cum tubulis fere rectis comparari possunt, quae ubique cera implere contigit, si exsudatio lymphae per aliquod tempus jam continuaverit (*a*); inter se tamen quodammodo differunt (*b*); perscrutatus oculum viri, qui ante 10 annos ophthalmia e laesione corneae orta, qua levis cicatrix nata erat, visum amiserat, felicissima injectione vasorum instituta haec ferme inveni; mem-

(*a*) Vid. Tab. III. Fig, 1. h.h.h.h. quae valdequam differunt a vasis pleurae pulmonalis inflammatione dilatatis g.g.g.g.

(*b*) Summe mirandum est, naturam in producendis novis partibus sibi adeo esse aequalem, ut iisdem legibus duci videatur, teste enim WOLFIO vasa sanguifera foetus in Amnio spurio tubos cylindricos rectos referunt, nullosque ramos emittunt (1); itaque cum descriptis vasis novis omni parte convenire videntur; MECKEL adhuc analogiam in nota memorat, quae inter vasa foetus nova et vas insectorum dorsale, quod nullos quoque ramos emittit, invenitur.

(1) Ueber die Bildung des Darmkanals. p. 115.

membrana hyaloidea atrophia fere consumta erat; retina paulatim degenerata hanc membranam arcte includebat, ut a chorioidea, quae pigmento omni carebat, saltem 2 fere lineas distaret; inter chorioideam et retinam plures pseudomembranae aderant, in quibus plura vascula nova injectum liquorem admiserunt, quae a chorioidea ad retinae finem prope ligamentum ciliare tendebant; haec vascula quidem plurimum parallela, tamen ramos ducebant longe plures, quam in aliis pseudomembranis vidi; cornea circa cicatricem sana pellucida elegantissimo vasculorum reti tegitur, quod ramosum est, et potius e vasis minimis dilatatis, quam e vasis novis factum videtur; super internam corneam vas majus etiam decurrit, anfractum cursum servans, et aliquot ramos emittens; in retina et membrana hyaloidea nulla vascula impleta sunt (*a*).

In superficie ulcerante vascula injecta aliquando magis stellata, aliquando parallela mihi visa sunt, ratione majoris minorisve quantitatis lym-

(*a*) Facile est, in oculo sano retinae vasa implere; in uno vero oculo, quem in spiritu vini conservo, membranae hyaloideae vascula liquore subtilissimo implevi, ita ut non tantum in superficie reti vasculorum minimorum elegantissimo tegatur, sed etiam quaedam vascula majora ipsam membranam hyaloideam penetrant, et introrsum ducuntur.

lymphae coagulabilis, quae in superficie ulcerante secernitur, in qua nova vasa generantur.

Tandem investigavi, an ex venis nova vascula nasci possent; et revera in enteritide gravissima, in qua intestina sibimet invicem firmiter erant accreta, arterias et venas arte implevi, ita ut plurimae venae novae, liquore coeruleo turgidae, ab uno intestino ad alterum transirent, et hic illic arteriolis novis stiparentur; quoad decursum autem cum arteriis conveniunt, ita ut tubulorum adinstar, nullis ramis factis, ex intestinorum venis minoribus proficiscantur, quod praeparatum conservo. Luculentius adhuc in pulmonibus venas novas observavi; cera enim in venas pulmonales injecta non tantum in pseudomembranas et novas venas transiit, sed etiam ipsae venae intercostales cera hac implebantur, ut de generatione novarum venarum nullum dubium superesse posset.

Vasa lymphatica nova in pseudomembranis generari potius conjecerunt, quam experimentis demonstrarunt auctores; itaque operae pretium duxi hoc inquirere, licet difficile experimentum mihi videretur. In hepatitide vero chronica, hepate pseudomembranis diaphragmati accreto, mihi contigit, mercurium in vasa lymphatica impulsum in ipsas pseudomembranas propellere, ita ut vasa lymphatica nova in conspectum ve-

ni-

nirent; in his valvulae vel noduli jam conspici poterant licet minores, quam in aliis vasis lymphaticis; cum arteriis et venis cursum magis rectum servabant, aliquando tamen paulatim convolutum; aliquando quaedam vasa lymphatica ad pseudomembranae originem sursum tollebantur, sed postquam in pseudomembranam transire inceperant, arcu facto ad hepatis superficiem redibant; in illo arcu plura vasa lymphatica ex hepate terminabantur; an talis arcus prima vasorum lymphaticorum novorum origo?

Magna autem in his experimentis prudentia requiritur; nimis enim mercurium urgendo, aliquando in novas arterias vel venas ruit, quas tamen valvularum defectu et diametro paulo majori satis distinguere potui; vasa enim sanguifera cum vasis lymphaticis anastomosin formare, experimentis viri cl, VROLIK (*a*) et FOHMAN (*b*) satis constat. — In injectione arteriarum intestini tenuis subtilissima mihi contigit, liquorem rubrum ex arteriolis in vas lymphaticum propellere, sine ulla effusione, quod in praeparato facile conspici potest; et econtrario vasa lymphatica in hepatis superficie mercurio implendo, hic saepius in ramos venae portarum la-

(*a*) Vid. Letterbode. July 1801. p. 35.

(*b*) Anatom. Untersuch. der Saugadern. Heidelb. 1821.

latus est, ita ut plures venae mercurio essent impletae

Restat jam mala videre parasytica et magis composita, quae quoad formam et materiem plerumque longius a sanis partibus distant.

Secundum BETSCHLER et KLUGE (*a*) omnes hae morbosae affectiones bifarie dividi possunt, prout vasa sanguifera, e quibus nutrimentum et vitam accipiunt, interne vel externe sint posita; quaedam enim mala parasytica systema vasorum in media parte maxime evolutum habent; centralis haec evolutio in medio exorditur, ita ut vasa foras excrescant; haec etiam, secundum illos auctores, ratio est, cur in ambitu vita minori gradu vigeat, et prius gangraena exordiatur; huc pertinent scirrhus, carcinoma, polypi, sarcomata aliaque. — In altera specie fons vitae extra est positus, et mors in medio ingreditur; incrementum ab ambitu introrsum progreditur, et vasa sanguifera malum quasi ambiunt; huc pertinent hygroma, haematocystis, meliceris, atherome, lipoma, steatoma et osteosteatoma; in prima specie mala foras excrescunt, fluidioraque secernunt, in altera specie vasa introrsum fluidiorem exhalationem deponunt, quo ambiens involucrum expanditur, increscit, crassiusque redditur. Cum

(*a*) RUST Magasin. XVI B. 2 Heft.

Cum his propriae observationes pro maxima saltem parte conveniunt; de vasis autem ipsis notandum est, quod saltem in illis malis parasyticis, quorum vasa in medio excrescere incipiunt, arteriae tantum fontem malis dare videntur, ut tantum ex arteriis, non vero ex venis constare videantur. — Hoc mihi prae aliis patuit in sarcomate uteri ingente, de quo supra jam locuti fuimus; in hoc enim specimine arteriae et venae tam uteri quam vesicae urinariae elegantissime arte impletae sunt, sarcoma vero ipsum arteriolis cera rubra impletis ubique rubet, ne unicum vero venosum vasculum in ipso sarcomate implere licuit: haec ulterius indaganti mihi contigit quidem in alio specimine, liquore subtilissimo coeruleo in venas impulso, quaedam minutissima vascula in ipso sarcomate implere; suspicor vero, liquorem subtilissimum e venis in arterias et sic in sarcoma transiisse; idem de carcinomate valet, saltem nondum mihi contigit, venas in carcinomate, liquore in truncis venarum impulso, replere; in quodam specimine carcinomatis ventriculi venae ubique elegantissime impletae sunt, circa carcinoma vero omnes terminantur, licet arteriae carcinoma ubique penetrant; in fungo medullari arteriolas saepe adeo implevi, ut totus fungus aequaliter fere ruberet, rarissime autem venas in fungo perse-

qui

qui potui; hic illic tamen aliquando exiguae venae fungum penetrabant; fungus vero haematodes magis venarum morbus mihi visus fuit, quod in sequenti tomo, ubi de illis vitiis sermo erit, uberius demonstrare conabimur. Vasa lymphatica in scirrhosis tuberculis mercurio implere contigit, praecipue hepatis, quae vasa tubercula ipsa perforabant et dein in venas transire videbantur; in fungo medullari vasorum lymphaticorum tunicae adeo tenerae redduntur, ut postquam in fungum transierunt, mercurii pondus vix sustinere valeant, hic illic tamen vas lymphaticum fungi medullaris partem penetrabat; idem de fungo haematode valet. Itaque concludimus in malis parasyticis vasa nova multum differre ab aliis supra descriptis; arteriae enim capillares novae in his multiplici modo divisae et ramosae sunt vel mirum in modum convolvuntur, uti in sarcomate, vel magis parallelae uti in carcinomate, et proprium arteriosum quasi circuitum formant sine venis, et inter arterias sanas ita interpositae videntur, uti vena portarum inter systema venosum; constant porro haec mala ex reti arteriarum capillarium; trunci enim horum vasculorum vel vasa majora vix aut prorsus non in illis conspiciuntur; an mirum itaque in tali structura a naturali maxime aliena inflammationis decursum et suppurationem a vulgari etiam longe recedere? Ex

Ex omnibus allatis sequentia jam nos concludere posse putamus:

I. Nervorum actioni in vasa sanguifera non tantum nutritionem, id est, materiae augmentum, sed etiam qualitatem et structuram materiae adscribimus.

II. Irritatio vasorum aucta cum incitata sensibilitate organi vel vi nervorum, quam organicam vocant, prima causa est inflammationis; hac irritatione vasorum sanguis in illis accumulatur; itaque rubor et tumor effectus sunt inflammationis, non causae.

III. Sine nervorum actione nulla inflammatio neque suppuratio est.

IV. Vasa nova in pseudomembranis ab oppositis sibi partibus exoriuntur, ut ad se invicem adcrescant et confluant.

V. Inflammationis gradus diversi in uno eodemque ulcere simul adsunt, ita ut aliis vasis lympha, aliis pus secernatur.

VI. Gangraena oritur duplici modo, vel exhausta vi vitali, vel concretione vasorum, qua nutritio non amplius perficitur.

VII. Inflammationis secreta differunt in diversis partibus eo magis, quo minor inflammationis est gradus, ita ut materies, quam in sano statu secernant, magis minusve adhuc in inflammatione proferatur.

VIII. Partes structura et actione diversae, licet vicinae, raro simul eodem inflammationis gradu afficiuntur, quod non a lumine vasorum diverso, sed a structura et vis vitalis actione diversa pendet. Partes vero ejusdem structurae licet remotae cito in consensum rapiuntur.

IX. Materies aliena in quodam malo parasytico formata effectus est generationis talis partis, quae huic materiae secernendae est idonea, uti ossea materies a formatione membranae fibrosae pendet.

X. Malum parasyticum fabrica et natura convenit cum fundo vel parte, in qua crescit; itaque ejus effectus in reliquum corpus a natura fundi pendet.

XI. Nervorum affectione morbosâ inflammationis maligna natura et ichoris secretio nasci videtur.

XII. Mala parasytica universe duplicia sunt, quae fontem vitae et vasorum intus habent et foras excrescunt, et quae vasis externe circumdantur et fonte vitae externo sunt praedita.

XIII. Mala parasytica prioris speciei tantum vascula capillaria arteriosa, non aut vix venosa accipere videntur; tamen in pseudomembranis novae venae et vasa lymphatica generantur.



MORBI PULMONUM CHRONICI.

PHTHISIS PULMONALIS.

Malorum, quibus genus humanum affligitur, haud scio, an periculosius et frequentius sit phthisi pulmonis. — Nam ista tabes ab initio fallax est et mite invadit, et quos invadit, diu pessime habet, excruciando anxietatibus, torminibus, febricula, tussi, atque in mediis doloribus et angore blandiendo vana spe salutis; sed et pertinax est et omnia Medici eludit consilia, cumque inveteraverit, evincienda non datur; cumque nulli aetati parceat, ne senibus quidem, potissimum adolescentes invadit floremque iuventutis carpit, in quam tam atrociter saevire solet, ut nullus alius morbus. Quare non mirum est, nullum alium morbum tantum hominum numerum e vita rapuisse, quantum phthisin, atque ab antiquissimis temporibus enituisse Medicos tam dirum malum cognoscere.

Hippocrates enim jam de tuberculis pulmonum suppurantibus passim loquitur (*a*), aretaeus (*b*), aliique, e quibus patet, non tantum morbum eo jam tempore fuisse indagatum, sed et ejus natüram in ipso cadavere inquisitam.

Renatis scientiis Medici phthisis symptomata quidem indagaverunt, anatomicam vero cognitionem prorsus ferme neglexerunt, atque eo magis, quum contagii metu deterriti vix phthisicorum cadavera inspicere auderent. Pauci ulterius progressi sunt et phthisicorum pulmones ex industria indagarunt; inter quos prae aliis eminet fred. hoffman, qui pro suo tempore vomicam bene descripsit, per quam propagines asperae arteriae et vasa sanguifera decurrentia et soluta se invenisse memorat, tubercula etiam, quae steatomatum sebaceum concrementum recondunt (*c*).

Magnus morgagni econtra, qui in cadaveribus dissecandis unus omnium accuratissime et frequentissime versabatur, phthisicorum cadavera tantopere metuit, ut nunquam ista attingeret, ne

(*a*) De Morbis, libr. I. art. 14, pag. 8. ed. van der linden, libr. II. art. 55. p. 35. Coac. praenotion. tom. I. art. 3. p. 254, aliisque in locis.

(*b*) Libr. III. cap. 8.

(*c*) Oper. omn. Tom. I. p. 399. § 12 sq. et praecipue. Tom. II. p. 285. § 5—7.

ne senex quidem factus, idque non magis sui, quam juventutis causa, quamvis addat, id cautius fortasse videri, quam opus esset, at vero tutius esse (*a*). — Opinatur autem humorem sive adventitium sive ingenitum in pulmonibus subsistere, crassiorem reddi, tenuioribus particulis desumtis indurescere, et mora facta acrem reddi, quo pulmones erodantur; dubitat vero, an tubercula ex glandulis oriantur (*b*); triplicem porro tuberculorum speciem describit, quorum alia pure, alia visco mellis instar, pleraque autem, et haec minora, materie steatomatosa sint referta (*c*).

Nemini mirum videbitur, si dicamus tantam auctoritatem plures Medicos deinde ab hac inquisitione detinuisse: cui praecipue causae adscribendum credimus, tam plures phthisis species et varietates esse descriptas, adeo diversas, ut vix alia re conveniant, quam quod in pulmonibus sedem haberent. — Recentioribus temporibus major hac in re lux fuit exorta; diligentiori enim perscrutatione patuit, omnem veram phthisin pulmonis tuberculis nasci, adeoque diversis licet e causis originem ducat, unicum et constantem esse morbi progressum et fi-

(*a*) Epist. XXII. art. 3.
(*b*) Libr. cit. art. 21.
(*c*) l. c. art. 19.

finem, varietatibus quibusdam modo exceptis. Nec tamen omnino monstratum est, quae sint illa tubercula, quomodo fiant, et quibus e causis; de quibus omnibus disputant auctores. Cl. PORTAL externa similitudine seductus putat, tubercula nihil aliud esse, quam glandulas lymphaticas degeneratas ex scrophulosa dispositione exortas (*a*). Cui se opposuit BAILLIE, qui tubercula et vomicam accurate descripsit in egregio suo opere anatomico pathologico (*b*); credit autem tubercula formari in tela cellulosa pulmonum cellulas aëreas connectente, non vero glandulosae esse naturae, quum glandulae in hac cellulosa non inveniantur; et in membrana bronchiarum mucosa, in qua glandulae quidem sunt, tubercula nunquam deteguntur. — Aliquando tamen in pulmonibus massam albam mollem subfluidam invenit, quae cum materia glandulae scrophulosae, in suppurationem abeuntis, convenit; quam ob rem suspicatur, in his casibus talem materiem scrophulosam in pulmonibus esse depositam, ea differentia, quod hic loci magis dispersa sit, neque in tubercula concreta. — Vomicas itaque distinguit in illas, quae inflammatione solita, et quae scrophulosa affectione ortae fuerant.

Cl.

(*a*) Mémoire de l'Acad. Royale des Scienc. 1780. p. 315 sqq.

(*b*) Anatomie des krankhaft. Baues. ed. Soemmering. p. 39 sqq.

Cl. BROUSSAIS vero PORTALLII sententiam defendit, et longo ratiocinio demonstrare conatur, tubercula e vasis lymphaticis oriri, praecipue ob similitudinem, quae inter materiem tuberculosam et glandulas affectas cernitur (*a*); ubique, ita statuit, ubi vasa lymphatica adsunt, materies tuberculosa posset deponi, illamque secernerent tam in textura glandularum conglobatarum, quam in parenchymate pulmonum, hepatis, lienis etc. — Haec materies esset deposita et effusa (*extravasé*) intra organi fibras (*b*): in phthisicis ergo vasa lymphatica pulmonum sua sponte vel saltem solitis stimulis, quibus quisque est expositus, in degenerationem abirent (*c*). — Degenerationes calcareae, lapideae, osseae derivandae essent ab actione virium chemicarum, quae ad certum punctum libere agerent in massa materiae animalis ita, ut actioni vasorum capillarium vivorum sese subtraherent; quae degenerationes nunquam in tuberculis minoribus invenirentur (*d*).

LENNAEC, qui pulmonum tubercula fusius descripsit, illorum formationem e dispositione generali deducendam esse statuit, quae formatio si-

(*a*) Hist. des Phlegm. tom. I. p. 25 sq.
(*b*) l. c. tom. II. p. 241 sqq.
(*c*) l. c. tom. II. p. 207.
(*d*) l. c. tom. II. p. 245.

sine inflammatione praegressa perficeretur, potest tamen secundarie accedere; ad hanc sententiam illustrandam tubercula comparat cum glandulis induratis, quae aeque ac tubercula tumescunt, et sine dolore vel rubore diu eodem gradu persistere possunt; quando autem inflammatio accedit, tantum in vicinis partibus locum haberet (*a*); quin et tubercula pulmonibus non nocerent, nisi plures et majores jam in pulmonibus adessent; hanc ob causam inflammationi illorum formatio adscribi nequit, nisi ejus ideam ad omnem irritationem quis extendere vellet (*b*).

Materiae autem illius tuberculosae naturam vel qualitates ulterius non explicat, tubercula vero secundum illum formantur sub forma granulorum parvorum, quae semidiaphana sunt, grisea, aliquando prorsus diaphana sine ullo colore; talia tubercula miliaria vocat, quae deinceps increscunt, flavescunt et opaca redduntur, primo in centro et deinde in ambitu; haec tubercula confluunt, et massas majores minoresve constituunt, quarum densitas caseum densiorem aequat, hoc in statu illas tubercula cruda vocat; jam textura pulmonalis antea sana in-

(*a*) Auscultation Medicale. Tom. I. p. 31.
(*b*) l. c. p. 34.

indurescere incipit et materie tuberculosa impletur; aliquando tales massae tuberculosae formantur sine praegressa tuberculorum miliarium formatione, quae postea emolliuntur, liquescunt, et vomicam formant (*a*).

Non semper autem tali modo tubercula formantur, aliquando enim textura pulmonalis hic illic materia gelatinosa humida semiconcreta impleta est, quibus in locis cellulae non amplius, sed puncta ex alboflava opaca possunt distingui, quae non texturâ griseâ cinguntur illâ, quae descripta miliaria tubercula ambit; tubercula haec secundae speciei jam cruda sunt.

Tertia datur varietas tuberculorum, quae magis sunt pallida, minus distincte separata a substantia pulmonali, magis irregularia, non adeo rotunda, quam tubercula cruda.

Hae ultimae species magis per omnem pulmonum texturam latissime diffusae sunt (*infiltré*), quam prima species tuberculorum miliarium, quae sunt corpora heterogenea, quae texturam pulmonalem repellunt et reprimunt potius, quam penetrant (*b*).

Lorinzer in tuberculorum descriptione a lennaeccii sententia non discedit; putat autem tubercula neque induratione neque suppuratione sub-

(*a*) l. c. p. 21 sq.
(*b*) l. c. p. 29 sq.

substantiae pulmonalis, aut glandularum lymphaticarum formari (*a*).

In suppressa vero vasorum exhalantium exhalatione (*egestion*), uti vocat, tuberculorum primam originem esse quaerendam concludit, ita ut morbosâ actione pulmonis et materiae exhalantis retentae secretio vicaria oriatur morbosa in telâ cellulosâ, cujus productum materies est tuberculosa (*b*); non enim in cellulis, sed in tela cellulosa cellulas pulmonales cingente deponi hanc materiem cum BAILLIE aliisque credit (*c*); inflammatione autem saltem stricto sensu sumtâ tubercula fieri negat, nisi sub inflammatione omnem morbosam plasticam actionem intelligere velles (*d*). Postea vero inflammationem describit tanquam propriam fortiorem reactionem vasorum sanguiferorum praecipue capillarium, cujus efficacia morbosae structurae luxuries prorepat (*e*). Quin et hanc theoriam, quod majoris est momenti, ipsi praxi applicat; dicit enim venae sectiones in phthisi non esse indicatas, quum phthisis pulmonalis natura non in inflammatione, sed potius in chronica morbosa metamorphosi con-

(*a*) Ueber die Lungenkrankheiten. p. 60.
(*b*) l. c. p. 79.
(*c*) l. c. p. 60.
(*d*) l. c. p. 70.
(*e*) l. c. p. 209.

consistat, venae sectiones vero requiri, si inflammatio accedat, quas non tanquam remedia phthisi, at alicui accedenti morbo considerat (*a*).

Nimis subtilis et omnino audax et anceps haec distinctio mihi videtur; quanam in re enim morbosa haec vasorum ope secretio materiae tuberculosae differat a *vegetatione*, uti vocat, morbosa, vasorum reactione fortiori producta, quibus verbis inflammationis definitionem exprimit, prorsus non video: consentimus quidem morbosam secretionem sine inflammatione locum habere posse, sic urina, bilis, lac saepissime degenerant; sed (in tuberculorum formatione novum corpus formatur, quod cum vapore exhalato nullam prorsus omnino similitudinem habet, sed cum lympha coagulabili illo inflammationis comite maximam et perspicuam.

Nullus autem tubercula fusius atque accuratius descripsisse nobis videtur, quam cl. MECKEL, qui tanta industria illam degenerationem investigavit, ut hanc materiem fere exhausisse videatur (*b*). Sequitur opinionem supra allatam cl. BAILLIE, tubercula non glandulis degeneratis constitui, sed potius in tela cellulosa formari (*c*). — Tubercula, ita ponit, rotunda sunt gri-

(*a*) l. c. p. 150.

(*b*) Handbuch der pathol. Anatom. II Th. II St. p. 372. sqq.

(*c*) l. c. p. 377. sqq.

grisea subflava, exsiccatione, coctione, et acidis indurantur; tres periodos describit.

I. In initio pars morbosa tantum colore subalbido, griseo, pallido, minus diaphano a sana parte distinguitur, vulgo etiam pars tuberculosa durior est.

II. Jam pars affecta minus diaphana redditur, indurescit, aliquando cartilaginis instar, semper vero alicujus texturae animalis est, et pressione in massas irregulares parvas disrumpitur, aliquando sed rarius vascula minora insunt, STARKIO licet negante.

III. Jam omnis structura animalis deêst, et tandem resolutio partis affectae in medio incipiens extrorsum proserpit; tuberculum jam in pus magis minusve frustulis obsitum transit. — Partes cingentes rubescunt, indurescunt, solidiores evadunt, inflammantur, et exsudatione lymphae coagulabilis mutantur, tandem in suppurationem transeunt, nunquam vero tuberculosae redduntur. — Distinguuntur porro in talia tubercula, quae involucro sunt praedita, et quae illo carent. — Semper tubercula vicina a semet invicem sana parte intermedia separata sunt (*a*).

Plu-

(*a*) l. c. II Th. 2 St. p. 369. sqq.

Plures auctores de tuberculorum et vomicae formatione scripserunt, inter quos VISSER praecipue laudandus mihi videtur, utpote qui non tantum praecipuas recentiorum inprimis auctorum sententias collegit, sed etiam opiniones falsas strenue oppugnavit (*a*). Allata autem sufficere credimus ad diversas sententias cognoscendas; videamus itaque, quid propria observatio nos docuerit.

Ad tuberculorum naturam et originem indagandam non congruum est, ea in phthisicorum cadaveribus inquirere, qua in re plures auctores errasse nobis videntur; nam sunt quidem in ejusmodi pulmonibus, sed ob horum degenerationem nimiam non ea semper inveniuntur, qualia in hominibus alio morbo mortuis. Est enim in phthisicis vasorum actio adeo aucta atque incitata, ut inflammatio solito citius stadia sua omnia absolvat; unde iis tubercula parva, quae cum descriptis miliaribus conferri possint, saepius tam magno numero esse solent, et sunt haec nihil aliud, nisi cellulae pure inpletae. — Haec ejusmodi tubercula omnino non sunt, si unum modo et alterum invenitur.

Itaque ut tuberculorum originem et formationem

(*a*) Dissert de Anatom. et Pathol. speciali organorum respirationi inservientium. Traj. ad Rhen. 1824.

nem detegeremus, ea investiganda sumsimus in pulmonibus minime tabe confectis, et in quibus pauca tubercula conspiciebantur. — Illis nulla adhucdum universalis vasorum et reliquarum partium acciderat affectio, qua tubercula potuissent corrumpi, sed topica quaedam.

Talia tubercula si dissecentur et microscopii adjumento conspiciantur, apparet cellulas pulmonum materie quadam refertas esse, eoque minus pellucidas, quo propius ad tuberculorum focum dirigatur oculorum acies; cellulae lympha coagulabili pellucida impletae, duriores sunt sanis circumdatis, neque aërem ferunt, quod levi earum pressione in aqua facile patet; est illa lympha cellularum aliquando tam limpida, ut vix oculo tuberculum a sana structura pulmonis distingui possit, et tactus tantum auxilio.

In aliis autem tuberculi focus jam magis albescit et omni limpiditate amissa opacus factus est; jam microscopii ope in foco cellulae parum aut nihil distingui possunt, et earum parietes cum ipsa materie tuberculi concreti videntur, vicinis cellulis pellucidam materiem adhuc vehentibus. — Tale frustulum in spiritu vini, si aliquamdiu servetur, omnes, quae materia illa limpida obstructae sunt, albescere cellulae in ci-

cipiunt, quod indicat eas lympha coagulabili impletas esse.

Igitur videmus recte concludere posse, negantibus licet LAENNEC et LORINZER, in quibusdam cellulis aut in lobulo pulmonis inflammationem localem oriri, qua lympha coagulabilis exsudet, quae cellulas obstruit.

Exsudando tandem cellularum parietes comprimuntur, et ab omni parte compressae non tantum cum ipsa lympha, quam continent, concrescunt, sed illa sensim sensimque indurescit, et opaca fit, quae albedo et durities praecipue in medio oriri videtur, ubi cellulae maximam compressionem a vicinis cellulis pati necesse est, cui ob lymphae obstructionem cedere nequeunt.

Forma autem tuberculi pendet a structura pulmonum, ad quam rem auctores non satis quoque attendisse nobis videntur. — Anatomicis notum est, pulmones e lobulis minoribus esse conflatos, qui tela cellulari connectuntur; quilibet lobulus singularem ramum e bronchiarum trunco (*a*), et propriam arteriam et venam accipit; quod mihi quoque e felicissima injectione pulmonis, quem conservo, luculenter patuit. — Prima jam tuberculi origo in uno tantum

(*a*) F. D. REISSEISSEN de Fabrica pulmonum. fol. p. 6.

tum lobulo incipit, neque vicini in initio mali in illam degenerationem trahuntur; hanc originem optime observare mihi contigit in praeparato, quod eum in finem confeci, arterias et venas pulmonis cera subtilissime implendo; quaedam tantum tubercula in illo inveniuntur, sed quodvis tuberculum in uno lobulo continetur, et albedine a lobulis sanis valde differt; haec albedo in pluribus locis demum conspicua est reddita, postquam aliquamdiu praeparatum in spiritu vini fuerat conservatum; quod argumento est, hanc materiem albam non ex injecta cera e vasculo rupto effusa, vel relicta materie coloranti per poros cellularum exsudata, sed e lympha coagulabili factam esse. — Quidam lobuli cernuntur minus degenerati, quorum vasa sanguifera cera penitus omnino impleta sunt; in aliis, pauca tantum vascula sunt, ita tamen, ut cellularum forma e vasculorum decursu adhuc conspici queat; pedetentim vasculorum numerus minor fit, et magis decrescit, prouti lobuli magis degenerati sunt, et in verum tuberculum transierunt, idque hoc modo, ut vasculum majus, a quo lobulus sanguinem accipit, diutissime apertum maneat, adeoque cera sit impletum, reliquis ramulis minoribus jam clausis et concretis. In his nulla structura vere pulmonis amplius conspici potest, et omnis cellu-

la-

larum forma deleta est; in mediis his lobulis vel tuberculis, ubi cavata sunt, suppurationis initium est; haec tubercula reliquis magis alba sunt, et membrana quadam cinguntur e tela cellulari crassiori nexa et lobulum a vicino separante; vicini lobuli minus affecti sunt, et tubercula ab uno lobulo ad vicinum ita proserpunt, ut cellulae proximae primum afficiantur: quae affectio lente progreditur, donec totus hic lobulus similiter degeneraverit, tela cellularis lobulos connectens diutissime conservatur, vel et crassior fit; tandem vero pluribus lobulis degeneratis, cum illis in unum malum confluit aut suppuratione consumitur, neque amplius cernitur; atque hinc sponte patet, cur quidam anatomici tuberculum vel et vomicam minorem membrana cingi contendunt, alii negant.

Ex his itaque concludimus, non tantum cellulas exsudata lympha coagulabili oppleri et deinceps concrescere, sed et vasa sanguifera male affici, id est, eorum lumen adeo coarctari, ut ceram, quam infundas, non amplius admittant, et tandem adeo concrescere, ut obstructa et impervia sanguini vehendo inepta fiant; hinc tuberculi partem mediam parum aut nullum sanguinem accipere, marcessere, absumi, emori et suam naturam omnem exuere, et degenerare penitus; vascula, quae nondum

 clau-

clausa sunt, inflammatione affecta pus secernere; quod tuberculum emollitum et maceratum sua tandem acrimonia solvat et dissolvat; quare non possimus LAENNECCIO et LORINZERO assentire, tubercula sine praegressa inflammatione fieri, cum materies, quae illa obstruit, sit lympha coagulabilis, quae, ut vidimus, limpida spiritu vini cogitur et opaca redditur; neque ab hac sententia abducimur argumentis a NASSE viro cl. prolatis, ad demonstrandum tubercula inflammatione non nasci (*a*); dicit autem in initio originis tuberculorum nulla inflammationis symptomata observari; hoc non monstrat, non fuisse inflammationem localem illam et lentam, quae reliquum corpus non tanta vi afficiat, ut symptomata mali clare cernantur: deinceps regimen antiphlogisticum nullam medicinam adferre phthisi tuberculosae, at si phthisis tuberculosa jam existat, etiam jam vomicae formatae sunt, sicuti cadaverum sectiones abunde monstrarunt, et in hoc morbo esse inflammationem, sanguinis e vena secta effusi natura clare docet: venae sectiones vero vix aliquid efficere ad inflammationem adeo localem et chronicam compescendam, qualem in faciendo tuberculo esse vidimus, non adeo mirum videri potest, quum hae sanguinis evacuatio-

(*a*) HORN, Archif. 1824. Jul. Aug. p. 106.

tiones generales magis in totum corpus, quam in locum affectum agant, quamdiu scilicet localis affectio totum corpus non affecerit. — Si v. c. pustula in cute oritur, exigua nata inflammatione corpus non afficitur, neque venae sectionibus medelam pustulae afferas; quod si singularis sit inflammatio, qualis in scabie et herpete est, adhuc longe minus obtinet. — Adducit porro vomicam vulgo in superiori pulmonum lobo, peripneumoniam in inferiore locum saepius habere, quod etiam cadaverum sectiones me docuerunt; probari autem hoc argumento vomicam vel tubercula inflammatione chronica non posse oriri, non video, nisi probet superiorem lobum inflammatione non posse corripi; apparet tantum tubercula et vomicam differre a peripneumonia, quod nemo negabit: immo adducit tandem, irritantia quaevis, uti alimenta, calidos potus, aliaque ejusmodi tubercula gignere posse; at si irritantia vasorum actionem ad gignenda tubercula incitent, non perspicio, quomodo hic ortus ab inflammatione chronica locali differat. —

Difficilior dijudicatu haec est sententia, tubercula esse degenerationem glandularum pulmonalium; nam observatione constat, glandularum colli vel alius loci degenerationem et inflammationem ante phthisin pulmonis saepius

 ac-

accidere, et scrophulosos in phthisin esse procliviores. Sed in ejusmodi cadaveribus pulmones accuratius investigans, cum vasa tenuissimâ materie impleta essent, tubercula reperi valdequam exigua et hic illic calculis obsita. Aliquando vero materies alba, quoad adspectum cretacea et mollis tubercula implebat, in qua materie frustula calcarea nonnunquam aderant, ac si haec materies pro parte tantum duritiem calculorum assumserat; aliquando omnis materies jam in durum irregularem calculum tran. sierat, qui periostei instar membrana tenaci fere cartilaginea crassiori cingitur, vix ullum injectione artificiali vasculum admittente; eandem materiem eosdemque calculos inveni in glandulis bronchialibus et mesentericis; excepto quod haec materies in glandulis bronchialibus vulgo nigra sit, calculos aliquando albos, rarius nigros continens; praeterea in superficie hepatis, ventriculi et uteri aliquando mihi occurrebant, licet glandulae lymphaticae reliquae affectae non essent; vulgo hi in peritoneo sedem habere videntur; non semper vero calculi in pulmonibus cum illis aliarum partium simul adsunt; saepe in pulmonibus calculos inveni sine ulla glandularum mesenterii vel reliqui corporis affectione morbosa. Microscopio tales pulmones investigans inveni bronchiarum ramulos saltem ad $\frac{1}{4}$ lineae

dia-

diametrum intus impletis vasis ubique rubescere, reteque formosissimum in tunica interna mucosa expansum; in quibusdam ramulis glandulae minores crassae et paulo albidiores mihi visae sunt; ipsa tubercula miliaria reti tenuissimo vasorum cingebantur, in quibus cellulas aëriferas apertas adhunc distinguere potui; haec tubercula vulgo externe bronchiarum ramulis vel et arteriis et venis pulmonalibus adhaerebant, aliquando ramulus minor bronchiae in tuberculum transire et definiri videbatur; externe saepe pleura pulmonalis lineis nigris rotundis, quae vasa lymphatica esse videntur, annulorum instar distinguitur; ubi degeneratio paulo major est, cellulae deletae erant, et in unam albedinem confluxisse videntur tubercula, quorum vasa jam sunt clausa et impervia; postea ulceratio et vomica oritur. — Cum didicerim et lubens fateor hoc examen partium teneritudine difficile esse, vix aliquid certi inde statuere et pronuntiari audeam; saepius enim dubitavi, an descripta tubercula miliaria non clausa vascula forent, quae transverse descissa tuberculorum formam monstrarent, eo magis, quum haec tubercula tanquam ramorum ordinem per pulmonum structuram persequi potuerim; suspicor autem revera glandulis crassis factis et inflammatione degeneratis haec tuber-

cula in initio formari, quae itaque diversam a tuberculis supra descriptis speciem forment, tamen hae glandulae ramulis minoribus bronchialibus magis adhaerere videntur; aliquando hanc cretaceam massam ex cellulis ipsis exprimere potui, cellularum forma manente pro maxima parte integra, quarum parietibus secretam fuisse videbatur, aliquando bronchiae ramum in tali tuberculo terminari vidi, ita ut parietes rami bronchialis ad tuberculi marginem quasi descissi tuberculo annexi viderentur, si Mercurio implerem talem bronchiae ramusculum, metallum in ipsius tuberculi interstitia nonnunquam inveni. — Nequaquam vero concedere possum, hos calculos ab inspiratis pulveribus et arena oriri; nimis enim composita illorum structura est, et analysi, quam in introductione dedimus, haec sententia satis refutatur; credimus membranam, sive glandulae sive cellulae parietem, inflammatione ita degenerari, ut fibrosam naturam adipiscatur et osseam materiem secernat; duplex itaque tuberculorum genus statuere possimus, alterum inflammatione chronica productum, qua cellulae aëriferae lympha opplentur et concrescunt, alterum magis calculosum, e glandularum minimarum degeneratione, ut videtur, factum, utrumque inflammationem vicinarum cellularum aëriferarum et vomicam gignit;

in-

inflammatio enim cellularum, quae primum exsudat, postea ad alterum stadium suppurationis, progreditur: haec suppuratio saepe in medio tuberculo incipit, aliquando tamen in latere, et praecipue hac nota differt a vulgari suppuratione v. c. vulneris, quod in hac carunculae formentur, quarum auxilio vulnus clauditur, non vero in suppuratione tuberculi; vascula enim nova hic non generantur, sed praesentia concrescunt, tuberculum emollitur, nutrimentum non amplius accipit, emoritur et pure vasculis nondum obstructis forte secreto resolvi videtur; hac suppuratione semel incepta subito tuberculum dissolvi videtur, quum longe rarius sit, tuberculum invenire pro parte solutum, quam integrum adhuc, vel vomicam minorem, tuberculo jam suppuratione consumto; talis vomica membrana quadam tenui, et vasculis multis plena, aliquando crassiori subflava investitur, in initio haec vomica fere rotunda est, neque vasculum quoddam per mediam vomicam adhuc decurrit, quod in majoribus vomicis semper locum habet (*a*); jam cellulae cingentes ad majus minusve spatium concrescunt et in suppurationem abeuntes vomicae cavum pedetentim augent.

Idem itaque hic observamus, quod in introductione supra annotavimus; scilicet inflammationis gra-

(*a*) Vid Tab. I. p. r.

gradus diversos semper esse in omni ulcere; et uti in furunculi foco suppuratio est, dum in ambitu lympha coagulabilis exsudatur, pari modo circa vomicam inflammatio eo minor fit, quo longius a margine cellulae pulmonis distant; hanc ob causam in vicinis cellulis lympha secernitur coagulabilis, licet in vomica suppuratio fiat.

Hac ratione vomicae cavum pedetentim augetur, usque dum tandem phthisi conclamata aeger prorsus exhaustus malo succumbat. — Sectiones autem cadaverum me docuerunt, vomicas majores vulgo inveniri in senioribus, ita ut in hominibus 40, 50 vel et 60 annos natis pulmonem prorsus vomica consumtum invenerim; in junioribus autem pulmo vulgo non ultra $\frac{1}{3}$ vel $\frac{1}{2}$ partem consumitur; unde confici possit, in juniorum corpore vivaciori et irritabiliori actionem adeo fortem esse, ut pulmonum consumtionem majorem perferre non valeant, sed citius succumbant.

Ut autem vomicae formationem rite absolvamus, potissimum diversarum partium degenerationes indagandas esse statuimus, vasorum, bronchiarum, vasorum lymphaticorum, nervorum denique.

I. Vasorum mutationem in gignenda vomica contemplamur. — A pluribus doctis medicis jam proposita est quaestio, quaenam sit ratio, cur vasa sanguifera pulmonum inque his

ma-

majora etiam prorsus consumantur, licet nulla exinde oriatur haemorrhagia.

Antequam ex industria vomicae originem indagaveram, hanc naturae curam praecipue admiratus fui, inprimis postquam in viro 50 fere annos nato pulmonem sinistrum prorsus consumtum inveneram, et pure repletum, in quo vasorum majorum reliquiae libere natabant; stylus in venam et arteriam pulmonis introductus ne pollicem ½ ab aditu in pulmonem intrudi poterat; et licet cl. MECKEL (*a*) aliique vasorum concretionem describerent, non satis tamen illorum descriptio qualiscunque hanc rem explicare mihi visa est.

Ut itaque haec bene indagarem, diversorum pulmonum vomicis notatorum vasa sanguifera cera arte implevi, quae praeparata in spiritu vini conservo.

In descriptione tuberculorum jam monuimus, vasa sanguifera in tuberculis vix inveniri, nisi unum et alterum, quod aliquando in tuberculum penetrat; quamobrem conclusimus vascula teneriora prius concrescere, quae concretio pedetentim ad truncos pervenit. Ulteriorem hanc vasorum degenerationem egregie observare potui in quodam praeparato, quod

(*a*) Handb. der Path. Anat. II. Theil. 2. Abth. 2. p. 575 sq.

quod jam ad manus habeo, pulmonis scilicet sinistri puellae, cujus arteriae et venae cera impletae sunt; in superiori pulmonum parte vomica est, cujus margines membrana albescente vestiti sunt; nulla autem vasa hic per mediam vomicam decurrunt, sed ad marginem vomicae clausa sunt, et quasi descissa terminantur; paulo inferius vero sub arteria pulmonali vomica amplior facta ulcus majus fecit, per quod vasa plurima transverse decurrunt; plurima eorum cera adhuc impleta sunt: ramuli autem minores sive capillares floccorum instar vel sub forma levioris cellulolae externe truncis adhaerent, concreti vero sunt et impervii, ut materiam injectam non admiserint; trunci vomicam perforantes nullo parenchymate pulmonis cinguntur, nisi descriptis flocculis vasorum capillarium reliquiis, quod mihi manifeste patuit, postquam frustulum microscopii ope indagaveram (*a*).

Concludimus itaque vasa minora prius concrescere, quae concretio sensim truncum versus progreditur, haec autem concretio inflammatione efficitur, qua vasorum vasis simul inflammatis lympham coagulabilem in lumine secernunt, quo truncus impervius reddi-

(*a*) Vide tales flocculos vasi adhaerentes. Tab. I. p. r.

ditur parietibus concretis. Si vero haec vasa vasorum illo inflammationis gradu non afficiantur, ut cum trunco ipso concrescant, sed sanguinem vehere continuent, truncus nutrimentum adhuc accipit, et sic dictum trabeculum facit: chronica inflammatione exsudante vasa vasorum parietes trunci concretos crassiores reddunt, ita ut aliquando trunci parietes unam et ultra lineam superent, ut dissecando patet; conservo tale praeparatum, in quo trabeculum in medio adhuc apertum mansit, utroque fine clauso, et quod injectis vasis vasorum egregie coloratum est (*a*).

Itaque LAENNEC perverse tale trabeculum pulmonum parenchyma compressum vocat, in quo nullum vas invenire potuit, certe quia vulgo concretum est (*b*).

Si vero vasa vasorum ipsa, postquam truncus concretus fuerit, inflammatione claudantur, ut sanguinem non ulterius admittant, truncus nutrimentum non amplius accipit, nigrescit, emoritur et in pure resolvitur (*c*); sic in eodem praeparato, in quo trabeculum mox descriptum est, vasculum linea recta ad vomicam tendit, in ejus vero margine non

(*a*) Tab. II. a. c. b. d.

(*b*) .l c. Tom. p. 23 sq.

(*c*) Vide tale vasculum clausum altero fine libere in vomica natans et pro parte resolutum. Tab. I. s.

non tantum clausum est, sed etiam ibi sine ulla ulteriori divisione ramorum desinit et obtuse terminatur, ut ulteriorem decursum descissum fere crederes (*a*). Itaque a majori minorive gradu inflammationis et tempore, per quod vomica fuit, derivandum videtur, cur in una vomica nullae, in alia plurimae vasorum reliquiae inveniantur. Patet simul pulmonum parenchyma et vasa minora citius suppuratione resolvi, cui vasa majora diutius resistant.

Itaque haemorrhagia non oritur vasis licet fere omnibus deletis, quia primum vas clauditur, antequam resolvi et deleri potest, quin ipsa haec concretio causa est, cur dissolvatur vas reliquum, quum nutrimentum non amplius accipiat a vasis vasorum, si inflammationis decursu simul concrescant; patet simul trunco clauso partes, ad quas vasculum antea adibat, ob nutrimenti defectum emori et pure resolvi, aut gangraena consumi debere, nisi, quod fere semper accidit, jam consumptae sint, antequam ad truncum inflammatio processerit.

II. Quaenam mutatio bronchiarum oritur in gignenda vomica jam indagandum erit.

Vidimus jam tubercula fieri impletis pulmo-

(*a*) Tap. II. c.

monum cellulis lympha coagulabili, quae cellulae bronchiarum fines ultimos constituunt; si vero tuberculum suppuratione consumitur, etiam bronchiae ramulus, qui ad istum lobulum proxime accedit, suppuratione deletur; haec suppuratio pedetentim cum increscente vomica versus truncum proserpit, ita ut bronchiae ramus aperto ostio ad vomicae marginem terminetur (*a*); hinc semper stylum per bronchias in vomicam ducere possimus, et via patet, qua pus potest tussi ejici; si vero talis bronchiae ramus per longitudinem aperiatur, interne membrana mucosa rubet, tumet, et inflammationis signa monstrat eo majora, quo propius vomicae illam conspicias; vidimus autem in introductione inflammatae partis secretiones non tantum augeri, sed etiam eo magis a sua natura decedere, quo majorem inflammationis gradum subeat; hinc mucus e bronchiis secretus eo magis pus simulat, quo propius vomicae secretus fuerit, qui mucus cum ipso vomicae pure commixtus difficillime ab invicem segregandus est; haec vero tunicae mucosae inflammatio lente proserpit, ita, ut aliquando in ipsam tracheam adscendat et raucedinem et dolores laryngis inferat, quibus

(*a*) Tab. II. k.

bus phthisici frequenter vexantur; ratio vero, cur bronchia in vomicae margine non claudatur et concrescat, uti vasa pulmonis, verisimile oritur a natura cartilaginis, qua semper aperta servatur, et a membrana mucosa, quae bronchias investit, cujus inflammatio chronica magis muci secretioni auctae vel puris generationi, quam lymphae coagulabilis formationi favere videtur. — Non semper vero bronchiae ramus ad vomicae marginem terminatur; in praeparato, de quo supra locuti fuimus (*a*), inter plures vasorum reliquias, quae per vomicam decurrunt, etiam cernitur bronchiae ramus satis insignis, cujus membrana mucosa ab impletis arteriis et venis inflammatione forsan dilatatis eleganter colorata est. — Nullum vero dubium est, quin ulteriori phthisis decursu postea hic ramus etiam suppuratione consumeretur et novum puri exitum paravisset.

His illustrari credimus observationes de sic dictâ vomicae rupturâ, qua uno momento magna puris quantitas ejicitur, quod varii auctores diversis remediis quin et emeticis promovere suadent. Vomicam autem ipsam rumpi aut dilacerari nemo dabit, qui anatomiae limina modo attigerit aut vomicam se–

(*a*) Vid pag. 76.

semel in pulmone conspexerit, talis enim ruptura pulmonis ipsius dilacerationem, adeoque lethalem haemorrhagiam produceret, aut pus diffunderet per omnem pulmonis texturam; si vero per vomicam pure impletam major bronchiae ramus decurrat, qui puri vix exitum praebet, ejus rami suppuratio vel tussi facta dilaceratio cito puri exitum aperit; pus novam hanc viam intrans membranam mucosam stimulat et tussin excitat, qua pus in vomica inclusum magna copia uno momento ejici potest.

III. Vasa lymphatica jam sequuntur. — Haec vasa in pulmonibus saepe difficillime sunt distinguenda, et licet mihi contigerit in pulmone vomica affecto quaedam vasa lymphatica pleurae, quae pulmonem investiebant, mercurio implere, tamen nullum invenire potui, quod in ipso pulmone penetraret; quamobrem veritatis amans de illis nihil certi affirmare audeo. — Postea vero in pulmone sano mihi contigit vasa lymphatica per totam pulmonis superficiem non tantum eleganter mercurio implere, sed plures rami in pulmonis parenchyma ducebantur, ita ut mihi distincte appareret, vasa lymphatica per cellulosam inter lobulos ubique decurrere, ut laqueorum instar lobulos cingerent;

rent; in superficie pulmonis non longe a trachea tuberculum exiguum erat nigrum, quale vulgo calculum continere solet; in hoc tuberculo plura vasa lymphatica terminabantur, quae partim tuberculum penetrabant, partim mercurium in tuberculo effundebant, ita ut, simulac mercurius tuberculum intrasset, sponte efflueret. — Quum talia tubercula, in quibus calculi insunt, saepe in superficie pulmonum occurrant, non parum opinio confirmatur prius proposita, tubercula, quae calculos continent, glandularum vel vasorum lymphaticorum degeneratione nasci.

IV. At vero mirandum est nervorum decursum et mutationes in diversis degenerationibus non accuratius ab anatomicis esse investigatas; quod factum sit, an subtilitate, et tenuitate qua saepe terminantur nervuli, an alia ex causa nescio. Plexus vero pulmonum plurimos emittit ramulos per pulmones dispersos, quos cl. REISSEISSEN monstravit (*a*). De industria itaque illorum decursum investigavi in pulmone vomica majori consumto; in quo mihi patuit, nervos ad vomicae marginem simul cum vasis terminari, ita ut in cartila-

(*a*) De Fabrica pulmonum. Tab. V. fig. 2. Tab. VI. fig. 1 et 2.

laginis vel cellulosae tenacis speciem transiisse videantur, atque ulterius persequi et distingui non poterant; simile specimen conservo pulmonis dextri puellae 24 annos natae; nervus vagus solito modo juxta oesophagum decurrit (*a*); postquam nervum recurrentem demiserit (*b*), plexus oritur pulmonis circa arteriam pulmonalem praecipue plurimos ramos emittens (*c*); hujus plexus quosdam ramos in ipsum vomicae marginem persequi contigit, ita ut per vomicae parietem illo loco duriorem fere cartilagineum penetrent et in margine terminentur (*d*); quidam rami inflammati sunt et crassiores videntur, ita ut vasculis cera impletis pluribus abundent et rubescant (*e*), quae rubedo in aliis nervulis, uti et in trunco non conspicitur.

Nervi ergo aeque ac vasa sanguifera suppuratione consumuntur et delentur; quare non mirum est, hanc nervorum inflammationem et suppurationem continuam phthisicis molestissimam excitare irritationem, qua non tantum tussicula con-

(*a*) Tab. I. 1. 2. 3.
(*b*) Tab. I. 4. 5.
(*c*) Tab. I. 9. 10. 11.
(*d*) Tab. I. 12. 13. 14.
(*e*) Tab. I. 10. 13 14.

continua fit atque exasperatur, sed etiam plurima symptomata spasmi et pectoris anxietates et cruciatus, quibus aegri illi misere angi solent, explicari possunt; forsan horum nervorum inflammatio et connexus cum ulteriori nervi vagi per instrumenta concoctionis decursu aliquid contribuit, ad ventriculi et intestinorum affectiones phthisicis adeo familiares inferendas.

Testem hic excitem J. SWAN, qui nervum vagum in phthisicis saepe affectum et degeneratum invenisse scribit (*a*); ipse nervum nunc magis rubentem, nunc crassiorem, aliquando etiam prorsus non affectum inveni, ut de his aliquid certi statuere nondum licere arbitrer.

His jam expositis nova venit quaestio solutu difficilima; nimirum saepius pulmones phthisicorum adeo destructi sunt, ut aliquando unum pulmonem penitus consumtum, alterum pro maxima parte vomica deletum inveniamus; quomodo igitur per reliquam pulmonis unius partem, altero consumto, omnis corporis sanguis contineri et circumferri possit, qui antea in hunc finem duobus pulmonibus integris indigebat? Diu haec quaestio me occupavit, antequam sufficientem explicationem invenire potui; cor-

(*a*) Observations on some points relating to the Anatomy Physiology and Pathology of the nervous systhem.

corpus enim phthisicorum quidem summopere emaciatum est, idem autem in aliis morbis saepe accidit, in quibus utriusque pulmonis vasa tamen sanguine implentur et suum circuitus opus perficiunt; ex emaciatione itaque et sanguinis defectu vix satis explicari potest. Si autem morbosas actiones in corpore attente investigamus, eundem saepe modum invenimus, quo natura laesiones allatas restituere conatur, licet diversis instrumentis accidant; in aneurismate, verbi causa, post ligaturam arteriae circuitus restituitur dilatatione vasorum lateralium, et novas vias circuitus aperiendo aut formando; idem in pulmonibus locum habere mihi persuasum habeo; in plurimis enim phthisicorum sectionibus observavi, pulmones loco vomicae tenaci pseudomembrana, in qua vasa nova plura sint, pleurae costali adhaerere (*a*); postquam vero tali in casu pulmonis vasa subtili materie impleveram, pleurae costalis vasa injectâ materie impleta inveni, quae ex arteria pulmonali in pleuram transierat (*b*); conservo tale specimen, in quo non tantum pleurae costalis, sed etiam pericardii et oesophagi vasa per arteriam pulmonalem impleta sunt; in alio casu implevi arterias inter-

cos-

(*a*) Tab. III. fig. I. h. h. h. h.
(*b*) Tab. III. fig. I. d. i. i. i.

costales materie flava et venas pulmonales materie rubra, et inveni illam in pulmones ipsas transiisse (*a*) et hâc e contra venas intercostales esse impletas, ita ut de circuitus communicatione et transitu sanguinis ab una parte in alteram nullum dubium restare posset; concludimus itaque, naturam hoc in casu eandem viam sequi atque in aneurismatis operatione; vasa enim pulmonum majora clausa sunt, formantur autem nova vasa, quae sanguinem ob diminutum spatium in pulmonibus vix continendum per novas has vias in pleuram costalem exonerant, qui sanguis pulmonalis itaque non per venas pulmonales, sèd per venas intercostales ad cor reducitur; itaque circuitus minor pulmonalis in majorem universalem transit, quo spatii coarctationi et circuitus impedimento quodam saltem gradu succurratur; fateor quidem, me in pluribus phthisicorum sectionibus bis invenisse vomicam pulmonalem sine adhaesione cum pleura, sed in uno casu vomica non adeo magna aderat, in altero pulmo alterius lateris vomicâ insigni quoque affectus tenaciter pleurae adhaerebat, ita ut, vasis pulmonalibus injectione impletis, pseudomembranae et pleura ipsa costalis pluribus vasis novis materie injecta impletis sca-

(*a*) Tab. I. M.

scaterent. Consentimus quidem sanguinis per pulmones tales circumlati spatium vasorum obliteratione diminutum non ab omni parte restitui, tamen hanc vasorum novorum formationem tanquam naturae conamen ad circuitus impedimentum tollendum considerandam putamus; constat saltem circuitum minorem per haec nova vasa cum circuitu majori in thorace externo confluere: ex his sequitur, quod majoris est momenti, si tali in casu hirudines applicentur pectori et quidem vomicae loco, quae semper ferme in superiori pulmonum lobo est, non tantum ex integumentorum vasis, sed per vasa nova ex pulmonibus ipsis proxime sanguinem hauriri, quare venae sectionibus praestant, quae sanguinis vim diminuendo relative pulmonalem diminuunt. Et revera saepe phthisicis V. S. S. et hirudines alternatim applicavi, ut effectus comparare possem, quando hirudinum applicatio, nisi totum corpus adeo affectum esset, ut generalis vasorum depletio requireretur, semper longe majus levamen et symptomatum decrementum afferebat, quam venae sectiones, licet hirudinibus minor sanguinis quantitas detraheretur: qua de re postea uberius. — Pulmonum degenerationibus satis indagatis jam restant quae in reliquo phthisicorum corpore morbosa plerumque invenerimus.

Mutationes morbosae in phthisicorum cadaveribus exceptis pulmonibus sunt hae praecipuae: cor vulgo parvum est polypis obsitum, quorum tamen origo post mortem fit, ut patet ex valvularum semilunarium in illis impressione, praecipue in arteria pulmonali, uti et ex figura auricularum, quam saepe monstrent; in peripneumonia, bronchitide et hydrothorace hi polypi vulgo majores sunt, quam in phthisicis, quorum cadavera vulgo fere exsanguia dici possunt; in ventriculo et auricula dextra hi polypi semper adsunt, si congestio et circuitus impedimentum in pulmonibus adfuerant, quum in agone mortis serum per vasa capillaria pulmonis transeat fibrosa parte crassiore in arteria pulmonali remanente, quod alio loco fusius monstravi (*a*).

Observationem hepar in phthisicis majus esse confirmare possum, quin in cadaveribus, quorum pulmones fere consumti erant, plerumque hepar praegrande invenimus; quod ex actionis similitudine, qua hepar carbonem e sanguine auferendo pulmonum vices quodammodo exercet, forte explicari possit.

Glandulas meseraicas in phthisi longe rarius affectas aut tumentes invenimus, quam quidam volunt; e contra glandulas has summopere affectas

(*a*) Dissertatio de sanguinis coagulatione praemio ornata. Groning. 1820. p. 31 sqq. et Dissert. nostra inaug de sanguinis coagulatione. p. 54 sq.

tas subinde inveni sine ullo pulmonum tuberculo, et saepissime cum plurimis pulmonum tuberculis nullam glandularum meseraicarum affectionem; quod argumento est, glandularum affectiones non adeo cohaerere cum tuberculorum origine, quam PORTAL voluit.

Non raro intestina tenuia valdequam inflammata inveni, licet aegri de abdominis doloribus nihil conquesti fuissent; ulcerationes in tunica villosa intestini tenuis vel coli saepe inveni, nec tamen semper: haec ulcera primo tanquam pustulae exiguae oriuntur, quae liquore quodam oppletae disrumpuntur, quo ulcusculum oritur, quod lente progreditur crescendo; jam primo tunica villosa afficitur, deinde tunica muscularis, ita ut in medio peritoneum tantum intestini cavum tegat (*a*); externe cicatrix formatur, et vasa lymphatica, quae a tali ulcere proveniunt, plerumque materie albâ tenaci oppleta turgent; quaedam super locum affectum tanquam striae albae nodosae in superficie decurrunt, quaedam intestinorum tunicas perforant, et in ulceris margine terminantur; glandulâe meseraicae, quas perforant, eadem materie impletae sunt et tument; mercurius in vasa haec lymphatica injectus, albam illam materiem non propellere aut penetrare

(*a*) Tab. III. fig. 2. c.

trare poterat; glandulae vicinae, quae vasa lymphatica sana accipiebant, etiam non turgebant, ita ut glandularum meseraicarum morbosa affectio et tumor sequelae esse videantur intestinorum ulcerationis vel affectionis morbosae, qua vasa lymphatica ex intestinis orta morbosam materiem absorbent et ad glandulas ducunt et propagant; praecipue illas degeneratas glandulas inveni, si ad phthisin pulmonalem ascites accesserat.

Attentionem autem saepe movit coli positio in phthisicis; postquam enim monente Doct. ESQUIROL coli situm attente in maniacis indagaveram, illudque revera variis flexuris irregulariter decurrens saepe, licet non semper inveneram, non raro etiam in aliis cadaveribus hunc coli situm perversum vidi, ita ut colon aliquando naturali longius videretur; observavi autem in nullis cadaveribus, exceptis maniacis, frequentius hunc situm coli occurrere quam in phthisicis, cujus causam nos prorsus latere confitemur; aliquando medullam spinalem in phthisicis indagavimus, sanam vero semper invenimus; in hydrothorace vero hydrorachitidem simul saepe adesse suo loco videbimus.

Signa phthisis et symptomata quaedam generalia.

Licet phthisis historiam absolutam conscribere non decreverimus, cum plurimae eaeque egregiae extent ejus descriptiones, tamen quid in

in magno phthisicorum numero universe observaverimus, verbo monere, non supervacaneum dici potest.

Nunquam morbus melius cognoscitur, quam si plures aegri simul conspici atque cum se invicem comparari possint; quod omnino de phthisi dictum sit, quam tum non adeo difficile sit primo oculorum intuitu agnoscere. — Nam saepius in phthisicis observavi oculos protuberantes splendidos praecipue in juvenibus hereditaria phthisi affectis, ita ut fere signum primum diagnosticum diceres, nisi subinde in adultioribus et phthisi pituitosa aut bronchitide ulcerosa affectis desideraretur aut saltem obscurius adesset; habent oculi semper aliquid peculiare, quod qui semel attente conspexerint, postea ex talibus oculis phthisin praedicere valebunt; cujus rei haud semel periculi feci, et alios ad illam oculorum conditionem attentos reddidi, qui deinceps mox primo intuitu phthisicos in magno aegrorum numero invenirent, atque digito monstrarent; non autem continuo semper eadem haec est oculorum conditio, quippe observavimus, simul ac phthisis symptomata decrescant, si inflammatorius status deminueretur, sudores nocturni ardorque manuum remitterent, oculos etiam splendorem illum singularem dimittere, et quasi in suam orbitam recedere. Ali-

quan-

quando etiam hydrothoracem ea oculorum conditio comitatur; at tunc etiam pulmones affectos inveni.

Genas in phthisi circumscripte rubescere jam antiqua est observatio; in debilioribus aliquando pallidiores vidi; in phthisi ex bronchitide ulcerosa sive phthisi pituitosâ haec genarum rübedo prorsus vulgo deëst, quum tales aegri magis pallescant, cute tamen minus tenera sint, quam in phthisi florida solet esse; haec genarum rubedo saepe differt, jam dextra jam sinistra gena rubedine magis tincta est, neque hic color semper lateri respondet, quo vomica haeret; aliquando oppositam genam magis rubescentem inveni; saepe gena illius lateris magis rubet, in quod phthisici decumbunt; genam hanc tactu calidiorem opposita, aliquando ardentem inveni; si phthisis remittat, genarum rubedo diluitur et magis naturalis fit faciei color; ungues incurvatos saepissime in phthisi observavi, non vero semper; aegros interroganti, an tam incurvos ungues semper habuissent; id se non recordari plerumque mihi responderunt, quidam a juventute inde illam incurvationem fuisse testabantur.

Fere omnes phthisis scriptores de decubitu ita loquuntur, ut phthisici sano lateri decumbere non valerent; incertum vero id signum est; aliquando inveni utrumque pulmonem vomica affec-

fectum, licet in uno latere tantum decumbere valerent; si vomica nullum pus contineat, sive uno momento sit ejectum, sive symptomata inflammationis diminuta sint, haec decubitus differentia longe minor est, quam si vomica pure sit repleta, vel inflammationis symptomata adhuc vigeant; idem valet, si pus inter pleuram costalem et pulmones fuerit collectum, quando sano lateri nullo modo aegros incumbere posse vidi. Quidam phthisici praecipue corpore antrorsum verso potissimum sedent, neque resupine dorso decumbere valent; haec positio provectum jam phthisis gradum, et destructionem insignem pulmonum indicat; idem in hydrothorace et bronchitidis quibusdam speciebus observamus; videtur positione resupina circuitum sanguinis per pulmones difficilius peragi; notum est, animalia quaedam, uti cuniculos hac positione vi coacta sponte interire. — Musculi autem abdominales positione resupina erecti et tensi costas detrahunt, thoracis cavum ejusque expansionem diminuunt et circuitum per pulmones difficiliorem reddunt. Hinc antrorsum sedent, ut pectus magis expandant, quibus accedit, quod congestio caput versus impedito per pulmones circuitu facta, augetur positione resupina; idem de carditide valet, aliquando tamen contrarium observavi, quibus in casibus in cadavere pericarditidem

dem leviorem, vel pericardii concretionem cum corde inveni, licet in vita aegri fere semper dorso decubuissent. Molestissimum saepe praecipue in morbi initio symptoma est vomitus, non raro tussin insequens, aliquando etiam omnes cibi paulo post assumtionem ejiciuntur; aliquando vehementi diaphragmatis motu tussi continuâ vomitus oriri videtur; nervum vero vagum etiam hic non parum ad vomitum ciendum contribuere suspicor, plexum enim pulmonalem in phthisi inflammari et consumi (*a*) cum reliquis pulmonis partibus vidimus, qua nervi vagi irritatione sympathice ventriculi sensilitas verisimiliter augetur et vomitus nascitur (*b*). Alterum symptoma, de quo phthisici querelas edunt, est dolor et anxietas vel coarctationis sensus in scrobiculo cordis, aliquando satis vehemens; in cadaveribus autem nihil inveni, ex quo hunc dolorem explicare possem; quamobrem aut a tensione diaphragmatis vel ventriculi spasmo explicandum suspicor, eo magis, quum in uno casu, de quo pos-

(*a*) Tab. I. 12, 13, 14.

(*b*) Irritationem nervi vagi sympathice posse transferri nuper observavi in enteritide gravissima post herniam incarceratam; nervus vagus enim in thorace insigniter ubique rubescebat, uti et pleura nervum tegens, quin et ipsa aorta ad cor usque. Praeter congestionem sanguinis in pulmonibus nihil morbosi vidi, nullumque pectoris affecti symptoma durante vita observavi, abdominis malis nimis urgentibus.

postea fusius, vomitum et hunc dolorem praecordiorum pertinacem subito sublatum viderim, postquam moxa in superiori pectoris sinistri parte applicata fuerat, licet jam diu a quodam medico fontaceum in scrobiculo cordis sine fructu applicatum fuerat.

Curatio.

Si jam allata sine ullo praejudicio in mentem revocamus, nullum dubium superesse credimus, phthisin revera esse morbum inflammatorium, quod LAENNEC et LORINZER perverse negant; tuberculorum formatio ipsa ex inflammatis cellulis et dein obstructis lymphâ exsudatâ lobulis deducenda est, quibus aliquando pulmonum glandulae induratae et inflammatae accedere videntur; haec inflammatio, cum chronica sit, lente proserpit, vasa concrescunt et consumuntur vel filamentorum instar per vomicam decurrunt aut libere pendent. Quid itaque credendum de tuberculorum resolutione, de qua plures scriptores loquuntur et diversa remedia ad hunc scopum attingendum laudant? Vidimus autem in tuberculis semel formatis vasa jam esse clausa et concretione obstructa, cellulas pulmonum cum materie lymphatica spissa et coacta, aut si mavis, tuberculosa conglutinatas, et in unum corpus concretas, ut unam propriam massam referant; at vero talem degenerationem vis vitalis acti-

tione prorsus posse restitui, vehementer dubitamus; vasorum enim concretum lumen aut aperiendum, aut nova vasa formanda forent; et si demus, materiem tuberculosam posse resorberi, cellularum parietes destructi et in massam tuberculosam concreti simul delerentur, adeoque cavum seu vomica oriretur, quod si arte gignere valeamus, parum omnino aegrorum saluti prosumus; unicum itaque, quod restat remedium, est malos tuberculorum effectus diminuere et coercere, id est, impedire, quo minus inflammatio ulteriores progressus faciat, ne vicini pulmonum lobuli in malum trahantur, neque tuberculum in vomicam transeat: cui scopo remedia emollientia, refrigerantia, diaeta blanda, eupepta, euchyma, stimulis omnibus longissime dimotis potissimum inservire possunt; si conditio inflammatoria corpus in consensum rapiat, ut ejus symptomata prodeant, parvae venae sectiones vel hirudines prosunt. Omnium optime vero judico, et sic mihi persuasum est usu, derivantia externa hunc finem attingere; orgasmum enim vasorum et inflammationem a pulmonibus derivant et extrorsum alliciunt, et phthisin instantem vel jam inceptam aut tollunt, aut ejus progressus ulteriores sistere non raro valent; quam mihi opinionem egregie confirmavit anatomica disquisitio; vidimus enim pulmones vomica affectos

cum

cum pleura concrescere, vasisque novis esse conjunctos, ita ut cerâ vasis pulmonis infusâ in pleuram costalem transierit, et directum in phthisi adesse circuitus commercium cum vasis pulmonum et thoracis externi; haec vasa nova praecipue sunt loco vomicae, inque ejus ambitu, et a vulgaribus saepissime obviis adhaesionibus differunt adhaesione longe fortiori vasisque majoribus novis; illae vero concretiones leviores plurimum e tela cellulosa vasculis quibusdam minimis praedita constant. — Ex his jam supra conclusi, hirudines sanguinem tali in casu ex ipsis pulmonibus haurire, quod venae sectiones non tam directe praestare valent. Observatio sedula hanc veritatem nobis confirmavit. Fontacea porro aliaque derivantia externa loco affecto imposita vasorum actionem fortissime foras deducere posse judicavi.

Haec mecum pervolvens sequenti modo ratiocinatus sum.

Omnem inflammationem, quae transiit in suppurationem, praecedit inflammatio exsudans, id est, si decursum inflammationis consideremus, primo oritur tumor, exsudatio, et jam pus formatur; exsudatio lymphae ergo minor inflammationis gradus est, quam puris formatio; itaque inflammationem sthenicam, quae ad suppurationis gradum increverat, diminuendo verisimile ad

exsudationis lymphaticae gradum reducere possimus; concedimus quidem hanc conclusionem non de omnibus ulceribus valere, e contra plura ulcera vetusta et inflammationes singulares, uti bubones ulcerantes aliaque stimulis irritantibus tantum ad sanationem reduci, sed haec non in instrumento tam irritabili, quale pulmo est, inveniuntur, et inflammationem asthenicam rodentem stimulis mutando et ad vulgarem inflammationem ducendo talia ulcera sanantur; porro in vulnere recenti exsudatio lymphae cum suppuratione simul locum habet, ita ut in suppurationis stadio carunculae formentur, id est, lympha plastica proferatur novis vasculis praedita et structura definita, regulari gaudens; in vomica suppurante vero haec lymphae exsudatio deëst, hinc nullum materiae novae incrementum, sed pulmonis consumtio fit; in quibusdam vero vomicis hanc suppurationem ablatam invenimus, ita ut ne puris guttula in vomica esset; postquam talis pulmonis vasa materie subtili impleveram, inveni vomicae parietes vasculis innumeris scatere, quae recenter formata videbantur, quum a cellularum forma vasisque cellulas cingentibus quo ad formam et decursum toto coelo differrent; in his itaque sanationis initium fuisse conclusimus: hoc non ita locum habet in vomica,

quae

quae pure impleta est; saltem mihi non contigit in talis vomicae pariete vascula illa minima injectione cernere; si itaque in vomica suppurante inflammationem et vasorum orgasmum ad illum gradum diminuere valeamus, ut loco puris lymphae coagulabilis species formetur, vomicae augmentum ulterius non tantum impeditur, sed etiam spes est, nisi destructio nimia fuerit, cavum vomicae lente concrescere, firmari, aegrumque sanari; sanatae enim vomicae exempla non tantum LAENNEC memorat (*a*), sed et ipse in cadaveribus alio morbo consumtis reperi vomicae reliquias et pulmonis cicatrices materie alba aliquando steatomatosa impletas, ita ut pulmonis superficies vicina rugosa et quasi in plicas contorta esset, quale exemplum vasculis pulmonis minimis quam felicissime injectis in spiritu vini servo.

Itaque ex his patet, vomicam posse sanari, quin et vomicam minorem longe saepius in aegris adesse, quam quidem suspicamur, quae autem postea sanatur, vix dubito; saepe enim pulmonum affectiones, praecipue tubercula inveni in iis, quibus phthisis indicia nulla adfuerant; et pulmonum cicatrices et vomicae sanatae exempla praecipue in provectioribus et se-

(*a*) l. c. Tom. I. p. 60 sq. Tab. II. fig. 2. 3. 4.

senibus invenire non adeo raro mihi contigit, qualia exempla non nisi cadaveris sectionibus detegimus, quas in praxi vulgari instituendi rara est occasio et copia; videamus jam, an theoria ex anatomica inquisitione deducta observationi in ipsis aegris non tantum non repugnet, at vero conveniat, nisi enim experientia confirmetur, vana et vacillans omnino est omnis hypothesis.

Casus I.

Juvenis 21. annorum fibra tenera, corpore procero longiori, pectore coarctato plano, mense Junii anni 1823 fratrem amiserat phthisi vehementissima consumtum; subito post ejus mortem haemoptoe gravi corripitur, quando ad me accessit; de dolore et ardore in thoracis parte dextra inter tertiam et quartam costam queritur, tussicula ei est, pulsus frequens subdurus, inspiratio profunda, difficilis; venae sectione instituta, sanguis inflammatus est crusta tenaci tectus; levamen attulit V. S., tussicula remanet; remedia administro emollientia, nitrosa, cum Extr. Hyosc. de tempore in tempus V. S. repetitur et sanguinem valdequam inflammatum indicat; hirudines loco affecto subinde applicatae levamen quidem afferunt, sed tussicula et pectoris coarctatio post aliquot dies redeunt; haec symptomata sensim augentur, ves-

per-

pertina accedit febricula, sudores nocturni sequuntur et ardor manuum, ingreditur macies, protuberant oculi, genae rubent, insomnia et tussicula frequens noctu, appetitus diminutus, jam dictis remediis per aliquot menses adhibitis sine ullo effectu, quam quod appetitus prosternatur, omnem curam internam finio et postpono, nihil remedii administro; at fontaceum magnum loco dolenti in latere dextro applico; incipiunt omnia symptomata decrescere; febricula, sudores nocturni, tussicula remittunt; redit appetitus et ciborum concoctio; nutritur aeger; post duos menses nullum amplius phthisis signum cernitur, facies nitet, fit hilarior, oculi naturalem splendorem et ambitum recuperant; postea bis adhuc de pectoris gravitate conqueritur, quam ob rem V. S. instituitur; sanguis utraque V. S. emissus ne vestigium inflammationis indicat; nulla igitur in pulmonibus est phlogosis; jam per 3 fere annos sanus sua negotia sine ullo incommodo perficit, et mobilis cum velocius currit, aërisque injurias perfert, nullum exinde malum experitur; — per omne illud tempus fontaceum adhucdum apertum servat et nullo remedio interno usus fuit.

Ex hoc exemplo apparet, quantum derivans externum, sed loco affecto positum, aliquando, valeat prae omnibus remediis internis.

Casus II.

Similis fere casus fuit puellae irritabilis; mense Julii hujus anni puella 16 annos nata in nosocomium affertur de febre et sapore amaro quaerens; dispositionem habebat phthisicam genis circumscripte rubris, oculis prominentibus, unguibus incurvatis et pectore plano; de parentibus nihil erat cognitum, sed inquirenti mihi narrabat se quater haemoptysi fuisse affectam ante aliquot tempus, et tussicula praecipue noctu vexari; febre gastrica sanata haemoptysis rediit, quamobrem V. S. institui atque emollientia nitrosa et anodyna interne dedi; sanguis erat valdequam inflammatus, tussis augebatur, sputa tenacia ejicere incepit, vesperi accedebat febricula hectica cum ardore manuum volante, sudor nocturnus copiosus, decubitus in latere sinistro impeditus; V. S. S. postea institutae, uti et hirudines levamen attulerunt, post aliquot dies vero symptomata de novo increscebant, macies lente procedit, omniaque phthisin per diem procedentem indicabant; quam ob rem sthetoscopii ope aliquoties thoracem investigavi eo eventu, ut pectoriloquium inter secundam et tertiam costam sinistram distincte percipere possem; hoc ergo in loco mensis Augusti initio 1825 fontaceum applicavi, ut copiosa suppuratione a pectore posset deducere;

post

post aliquod tempus ardor manuum et febricula vespertina sponte diminuerunt, sudor nocturnus pedetentim remisit, tussis vero diutissime continuavit, initio octobris autem, longe minor erat; decubitus jam in utroque latere facilis, genae rubrae evanuerunt, pulsus, qui in initio valde frequens, parvus et subdurus erat, jam mollis, tardus, naturalis; nutritio denuo vigere incipit, facies magis plena succulenta; tussicula subinde vero adhuc continuat, praecipue si refrigerio aut perflatui sese exposuerit vel furtim acria comederet, quibus evitatis prorsus restituebatur, ut nulla amplius tussi afficiatur; appetitus jam viget, corpus restitutum est, somnus placidus, nullum febris hecticae neque sudöris vestigium; quum itaque ab omni parte sana videretur, neque facies aliquid phthisici amplius indicaret, in nosocomio diutius illam egredi cupientem vix retinere potui; antea autem pectus adhucdum examinans, pectoriloquii vestigia nondum prorsus fugata mihi videbantur, tamen loco fontacei susurrus respiratorius, quem in sano pectore sthetoscopio audimus, perspicuus erat; minus autem perspicuum erat pectoriloquium, quod in dextro pulmone etiam levi gradu adesse videbatur; licet itaque vomica nondum prorsus concreta videretur, tamen inflammationis erat expers, neque nocivos in corpore

dabat effectus, ita ut si postea diaetam praescriptam servet, et ab irritantibus et refrigerio se arceat, in posterum concretionem perfectam iri vix dubitaverim, quam ob causam initio novembris nosocomium reliquit. Mense martii vero rediit iisdem symptomatibus; tussis continua, sudores nocturni, ardor manuum, genae rubrae aderant, instituo V. S.; sanguis inflammatus erat, levamen affert sed breve; fontaceum, quod sanatum fuerat, iterum loco priori poni jubeo, nihil nisi emollientia nitrosa administro, post mensem omnia symptomata de novo evanescunt, redit in facie vigor naturalis, tussis silet, febris hectica et sudores nocturni remittunt, vires increscunt, ut altera vice a morbo gravissimo fontacei ope sanata puella hujus remedii utilitatem egregie probet.

Non semper autem fonticuli applicatio sufficit, praecipue si phthisis jam majores progressus fecerit; cujus exemplum vidi in milite jam diu tussi, febre hectica aliisque phthisis symptomatibus laboranti; vomicam sthetoscopii ope detegi in pulmone sinistro inter 2 et 3 costam: fonticulo applicato in initio symptomata omnia deminuebantur, ita ut spes sanationis affulgere inciperet; de tempore in tempus vero rediit febris tertiana cum symptomatibus gastricis, quibus pectoris mala semper de novo increscebant

bant (*a*); febris hectica, quae fere mensem penitus remiserat, rediit cum omnibus reliquis symptomatibus, ita ut diarrhaea oborta tandem exhaustus obierit; sectio cadaveris diagnosin confirmavit: vomica ingens pulmonem sinistrum occupaverat.

Fortiorem itaque aliquando stimulum applicandum esse putavi, quare eodem tempore, ut comparando recte judicarem, moxam applicavi, cujus historia sequens est.

Casus III.

Puella 19 annos nata, plethorica, fibra tenera, mobilis, vere anni 1824, postquam in lanis depurandis strenue occupata fuerat, ut totum corpus sudore maderet, tempore menstrui fluxus refrigerium subito passa est, eo eventu, ut cito pectoris coarctatione et dolore afficeretur, quibus tussis frequens molesta accederet, menses statim supprimerentur neque redirent postea.

Haec omnia tamen negligens nullum auxilium invocavit, licet pectus totam aestatem doleret, usque dum tandem tussi molesta et pectoris constrictionibus fatigata, 21 octobris nosocomium petiit.

Aegram examinans haec vidi symptomata; fa-

(*a*) Saepissime observavi, simulac morbi gastrici oriebantur, non tantum phthisin, sed etiam ulcera pedum, carcinoma aliaque mala cito in pejus vergere, quod in introductione jam monuimus.

facies praecipue genae circumscripte rubescebant, ungues incurvatae, oculi prominentes erant, pectus arctum, praeterea tussis frequens et tam vehemens, ut post diuturniorem impetum vomitus sequeretur, sputa subpurulenta, tenacia; venam secui et emisi uncias sanguinis sex, simul administravi medicinam emollientem; respiratio brevis erat, pulsus frequens durus, cephalaea magna, sitis ingens, lingua sicca; sanguinem postridie multum inflammatum inveni et, licet quoddam levamen attulisset, tussis et vomitus continuabant, antiphlogisticae medicinae adjunxi antispasmodicam, symptomata parum diminuebantur; 29 oct: autem hirudines IV. applicavi superiori pectoris parti: hae tantum levamen attulerunt, ut tussis et vomitus multo compescerentur, et pulsus fieret mollior et frequens, facies minus rubesceret, oedema vera pedum oboriebatur; aliquid pulveris digitalis remediis reliquis addidi, oedema tollebatur, non pulsus frequentia, et phthisis symptomata magis magisque prodibant: febris hectica cum manuum ardore quavis ferme vesperi redibat, decubitus in latere sinistro impeditus, sudores nocturni copiosi, sputa magis magisque purulenta ejiciebantur, vomitus magis compescebatur, praecipue post magisterii bismuthi usum; subinde hirudinum applicatio levamen aliquamdiu afferebat; jam vero praeter

se-

febrem hecticam intermittens accedebat cum omnium symptomatum augmento; tentavi itaque sulphatis quininae effectum, sperans hirudinum auxilio ejus remedii stimulum inhibitum iri; febris quidem aliquomodo remittebat, sed expectoratio fiebat difficilior, ita ut iterato remedio febris non posset prorsus debellari, et inflammationis symptomata augerentur; emollientibus igitur leniter amara adjungendo postea febris sublata est, et omnia symptomata mitigabantur; tussis erat levior, sudores nocturni minores, oculi magis naturales, pulsus tamen frequentia continuabat, unde morbum fallacem potius consopiri quam sanari credidi, neque eventus fefellit; mense decembris omnia mali symptomata pejus redibant, febris hectica vesperi erat, et jam tanta debilitas, ut pedibus stare non posset; tussis porro frequens, molestissima, purulenta.

Stethoscopio thoracem examinanti mihi apparuit, vomicam pulmonis dextri partem superiorem occupare, cujus etiam in pulmone sinistro quaedam signa inveni; itaque ut fortiorem revulsionem facerem, moxam pectori inter costam 2 et 3 dextram applicavi die 26 dec:, quos dolores fortiter sustinuit puella tenera illa, mobilis et sensilis; mirari tamen subiit in applicatione moxae eam longe gravius de dolore tracheae et laryngis, quam pectoris, quo moxa applica-

ba-

batur, conquestam fuisse; 27 d. noctu subito multum pituitae tenacis vel puris tussi ejecit, ceterum respiratio et decubitus in sinistro latere faciliores, tamen in pectore inflammationis symptomata eo gradu iterum increscebant, verisimile ob incipientem suppurationem sub moxa, quae jam incepit, ut 2 Jan: iterum 3 hirusdines circa moxam applicari debuerim, quae vero omnium symptomatum magnum levamen afferebant, ita ut jam 5 Jan: febris hectica non rediret, neque ardor manuum, neque sudores nocturni adessent, sed sommo placido reficeretur; haec melior rerum facies continuabat, excepto quod 7 hujus mensis diarrhaea oriebatür cum ventris torminibus, quae subito tamen emollientibus compescebatur, febris vero intermittens tertiana post meridiem de tempore in tempus redibat, ita ut aliquando ad sulph: quininae usum redire me coactum viderim, quod remedium jam sine noxa perferre poterat; tussis pedetentim deminuebatur, febris hectica, sudores nocturni et ardor manuum prorsus tollebantur, appetitus, concoctio, nutritio redibant; sputa fere nulla, mucosa, spumantia aliquando tantum; febris vero intermittens de tempore in tempus redibat, cum comite abdominis dolore, diarrhaea vero non rediit, pulsus pedetentim mollior et tardior reddebatur, vires in-

increscebant; cubile, quod diu relinquere non valuerat, iterum exiit et obambulare incepit, ita ut mense Martio aëre licet sicco frigidissimo bene se haberet, neque tussi ulla per longum tempus vaxata fuisset; at vero 18 Martii pulsus paulo durior mihi videbatur tamque frequens evadebat, ut dubitaverim, num hirudines pectori applicarem, quum vero nulla tussis aut febris adesset et facies naturalis nihil mali minaretur, id omisi, nocte vero insequente inopino gravi haemoptoë oborta suffocata est.

Aperto cadavere inveni ventriculum sangüine oppletum per oesophagum in ventriculo illapso; intestinum vero coecum et hic illic tenue pluribus ulcusculis erant affecta, quibus tunica villosa et in medio ulceris musculosa consumtae erant, extrinsecus cicatricis speciem formare videbatur, hepar flavum acinis paulo majoribus; thorace aperto inveni tracheam sanguinis polypis oppletam, utrumque pulmonem vomica affectum; pulmo autem sinister valde pleurae accretus erat, non vero dexter, licet vomica satis insignis esset, quod exemplum rarissimum esse supra jam adduximus, et pluribus aegris confirmatum vidi.

In hoc casu adhuc annotandum est, vomitum inflammationem et irritationem comitatum fuisse, qui tandem cura antiphlogistica universali cohibitus est; praeterea hirudines pectori

ap-

applicatae omnium symptomatum majus decrementum afferebant, quam venae sectiones. Febris intermittens sulphate quininae non poterat tolli, quamdiu irritatio et inflammatio nimia aderat, quum nimis irritare videretur; quamdiu pulsus frequentia continuabat, symptomatum remissio quidem fuit, sed tantum momentanea, simulac autem pulsus tardior reddebatur, omnium symptomatum decrementum fiebat nulla exacerbatione insequente. Digitalis in hoc casu, uti et in aliis phthisicis, nihil profuit ad pulsus frequentiam diminuendam, licet diu et satis praescripserim; moxam multum in hoc casu prae vesicanti valere patuit, vesicans enim in initio applicatum parum profuit, moxa vero insigne levamen attulit, praecipue postquam suppuratio nata erat. Haec aegra dum meae curae commissa erat, cum viro expertissimo VAN DER FEEN medicinam hic feliciter faciente de phthisi colloquens, praestans aliquando moxae phthisi remedium, si ipsi loco vomicae applicaretur, ei narravi; cujus rei historia commotus vir amicissimus facile me adduxit, ut in aegro quodam suo stethoscopii adjumento vomicae sedem indagarem, et moxae applicandae praeëssem; quod quonam eventu fecerimus, ut aeger inde a magno phthisis gradu in vitam quasi revocatus et prorsus restitutus sit, publice com-

communicavit vir exp. VAN DER FEEN in diario dicto *Letteroefeningen* mensis Oct. 1825; quum vero tam memorabile exemplum facile in in oblivionem cadere possit, non incongruum duxi, illam historiam repetere, quam paulo fusius et accuratissime conscriptam amicus mecum benigne communicavit:

« Vir 29 annorum, natus ex familia in phthisin proclivi, vitae lautiori in juventute deditus, plerumque coeterum sanus, nisi quod aliquando vexabatur arthritide; tandem mense Octobris 1824 inopino corripitur haemoptoe, qua antea numquam laboraverat; tres circiter hebdomades ante hunc accessum tussi catharrali afficiebatur, jam vero per plures dies silente; venae sectionibus haec haemoptoe post aliquod tempus coercebatur, ita ut non nisi sputa sanguineis striis notata exscrearet; hirudinibus appositis autem sputa mere mucosa alba evadebant, haec vero sputa cum tussi continuabant, quamobrem fontaceum applicabat eo loco, quem aeger tanquam sedem seu fontem, quo prodibant, notabat; remedia antphlogistica, resolventia et leviter narcotica administrabantur, ita ut a febri aeger liber manserit, et tussis ac sputa deminuerentur; diaetam servabat aeger levem eupeptam, ab irritantibus cibis et potu sese

« ab-

« abstinens; mense Januario 25 fere aeger resti-
« tutus videbatur, nulla enim tussis aderat neque
« sputa; corpus iterum nutriebatur et negotia
« domestica facile perficere poterat; incubitus
« facilis omni lateri, noctes tranquille dormiebat,
« tantum loquela, si ab aegro diutius protrahe-
« retur, ad respirationem celeriorem incitabat,
« ita ut anguis sub herba latere videretur,
« quod eventus probavit; postquam enim per
« tres hebdomades sanus fere manserat, in me-
« dia mense Januarii nocte expergefiebat cum levi
« quadam tussi, qua rursus aliquid sanguinis ejicie-
« batur, quod plures dies dein continuavit. Tus-
« sis sicca spastica redibat, cum sputis crassis
« ex albo flavis, aliquando subbruneis, cinereis,
« viridibus, plerumque sanguine tinctis, pulsus
« febrilis, praecipue vesperi, sed et per diem
« magis minusve acceleratus, parvus, debilis
« corpus emaciatur, facies collabescit, nulla
« remedia aliquid valuerunt ad recidivum
« hunc morbi adspectum superandum vel miti-
« gandum, ita ut ad finem Februarii aegri
« adspectus conclamatum fere exhiberet statum,
« genae erant excavatae, facies ex pallido li-
« vida, loquela mutata, debilis, tussi continuo
« interrupta, respiratio anxia anhelosa, universum
« corpus emaciatum, aliquando obstipatio, ali-
« quando diarrhaea colliquativa cum intestino-
rum

«rum doloribus, aliquando sub alvi depositione «lipothymia, sudores nocturni, debilitas magna, «ut per noctes diesque in lecto degere cogeretur, «appetitus auctus, lingua saepe flava obsessa, «tussis adeo increscens, ut ne vel per duo «horae minuta aegrum linquat, et ubi de novo «exorditur, summam inducat anxietatem et spas- «ticam concussionem; sputa quotidie majori «copia ejiciuntur et naturam odoremque refe- «runt puriformem, febris nulla fere remis- «sio per 4 jam hebdomades, per 2 ultimos bis «de die paroxysmum renovans: prognosis ita- «que infaustissima eo magis, quum tempus «vernale phthisicis adeo nocivum instaret."

Quum itaque aeger moxam experiri vellet, ut locum in pulmonibus suppurantem detegerem, nostrum amicissimus collega auxilium imploravit, ut stethoscopio pulmones indagarentur. — Accurate thoracem hujus instrumenti utilissimi ope examinans pectoriloquium satis manifestum inveni in dextro pulmone intra 2 et 3 costam eo loco, quem ab initio morbi aeger tanquam fontem mali notaverat, et prope quem fontaceum antea applicitum hucdum apertum fuerat servatum. 4 Martii itaque moxam applicavimus, ita ut crsuta satis profunda proferretur, quam applicationem aeger mirum in modum sustulit, nullos edens clamores, quin et postea

narrabat dolorem longe minorem fuisse, quam exspectaverat.

« Interne jam praescripsimus emulsionem:

℞ *Emuls*, *Amygdal*, *dulc*. unc. vi.
Nitr. depurat, dr. β.
Extr. Hyosc. gr. viii.
Sach. alb. dr. ii.

S. *omni hora cochlear*.

« Bene autem notandum, quod aeger vespere « ante applicationem moxae 3. Martis novo « haemoptoe afficeretur, quae per noctem et ma- « tutinum tempus continuo rediret cum molestis- « sima tussi. — Durante applicatione moxae « aeger liber manebat a tussi, ad finem vero ejus « tussis intrabat spastica; tempore postmeridiano « plura sputa sanguinem laete rubrum adhuc « continentia; per noctem saepe tussis redibat, « sputa vero non adeo globosa puriformia ut « ante, sed sanguine adhuc tincta magis atro « coagulato, tussis ipsa minus spastica.

« 7 Mart. nihil sanguinis in sputis amplius « observatur, quae magis tenuia pituitosa sunt; « sequenti die prima vestigia oriebantur solutio- « nis crustae moxâ productae; jam ab hoc tem- « pore sudor nocturnus nullus, somnus per to- « tam noctem placidus, sputa tenuia salivam « mentientia, ita ut ne puris vestigium contine- « rent; pulsus tardus, aequalis, mollis, facies minus

« col-

«collapsa, tussis longe minor. Hic status conti-«nuavit ad 11 Martii, quando nova exacerba-«tio oriri videbatur; tussis enim iterum auge-«batur et sputa ejecta magis globosa pro parte »fundum aquae petebant; crusta moxae jam «solvi incipit et signa suppurationis intrant; «sequenti die status iterum pejor, mane sudor «copiosus, sputa tenacia, globosa, crassa, facies «magis collapsa. Praescriptum jam est sequens:

℞ *Sem. phellandrii aquat*, dr iii.
Coq. in vase claus. s. a. q. ad col. unc. vi.
add.
Syr. pap. alb. dr. iii.
g. arabic. dr. iii.
p. rad. ipecac. gr. iii.
d.
S. *omni hora cochlear.*

«13. tussis aliquantum minor, potio ob saporem «ingratum negligenter fuit consumta.

«Jam in diem omnia ad meliora vergebant, «ita ut sudor prorsus nullus fuerit, tussis valdo-«pere diminueretur, sputa tantum exigua mu-«cosa ejicerentur, sommus placidus rediret, vi-«resque adeo increscerent, ut 22 Martii jam «per plures horas extra lectum degerit; 28 hujus «mensis tussis iterum aliquantum augetur, et moxae «ulcus minus suppurat, et ad sanationem ten-«dere incipit, qua de causa chirurgo hortato, «ut suppurationem irritantibus augeret, mox ite-

« rum omnia symptomata mitigabantur, eo ef-
« fectu, ut convalesceret tam cito, ut ul-
« timo hujus mensis ab hora meridiana ad noc-
« tem sine incommodo degerit extra lectum li-
« bros legens, epistolas conscribens, et ut sine
« incommodo se amicorum colloquio intermis-
« ceat; manus antea pallidae emaciatae turgorem
« vitalem recuperant, sommus reficiens tussi non
« amplius turbatus, et licet sequentibus diebus
« ventus siccus frigidus boreali-orientalis perfla-
« ret, vix ullum inde incommodum percepit.

« 11 Aprilis aeger coelum serenum putans in
« horto per semihoram ambulabat eo effectu, ut
« sequenti die dolores rheumatici in brachiis
« fuerint orti, et febricula oriretur cum dolore
« in ventriculi regione. Post tres dies vero om-
« nia haec symptomata evanuere sine pectoris
« noxa; aeger jam quotidie scalas adscendit et
« descendit, et experimenti instar quotidie no-
« vas res molitur, refrigerio sese exponendo, ut
« metus esset, ne exinde recidivum pateretur; se
« ante fenestras apertas ponit, curru vehi se
« curat aperto, eo tandem effectu, ut 7 maji
« nova oriretur haemoptoe cum pulsus celeri-
« tate adaucta, qui tamen usu antiphlogistico-
« rum et dein aluminis prorsus coercebatur;
« moxae interim suppuratio bene continuatur;
« jam de novo aeger ita reconvaluit, viresque
« recuperavit, ut tandem ab omni pulmonum
« la-

« labe immunis 29 junii urbem reliquerit Gelriam
« petens, in qua regione coeterum phthisicis
« noxia egregie se habuit, magnas deambula-
« tiones et periculosas defatigationes exercens
« sine ullo incommodo."

Ex hac historia jam clare elucet moxae vis in compescenda phthisi; tussis enim, quae aegrum ante applicationem moxae fere omni momento vexabat, durante applicatione semel modo infestabat, quod certe derivatione sensilitatis attribuendum; porro vasa pulmonis, quae ante applicationem continuo laete rubrum sanguinem effundebant, contractionem passa fuisse videntur, quum sanguis postea sputis adhaerens laete rubrum colorem cito amisit nigerque prodiit, argumento nil nisi reliquias effusi antea sanguinis ejici.

Non tantum vero vasa sangui fera, sed etiam quae pus secernebant, mutationem subiisse videntur, ita ut loco puris pituita secerneretur; effectus moxae tunc demum luculentior apparuit, postquam suppuratione inceptâ fortius a partibus internis novâ hac secretione vicariâ deducebatur, quod in priori casu etiam observavimus; tempore autem, quo suppuratio incipiebat, levis oriebatur exacerbatio, quae in priori casu tanta erat, ut hirudines apponere debuerim; salutaris autem suppurationis effectus iterum patuit secunda vice, quum ulcere ad sa-

sanationem tendente, exacerbatio orta fuit, quae mox evanuit, postquam irritantibus ulcus ad majorem suppurationem incitabatur: remedia dein post moxae applicationem melius ab aegris perferri videntur; sic aegra in casu 3 memorata sulphate quininae post moxae applicationem sine noxa usa fuit, quod remedium antea inflammationem auxerat; pari modo in hoc casu phellandrium ab amico praescriptum prodesse videbatur, quod remedium antea in phthisi purulenta saepius tentavi in aegris, in quibus moxa non applicata fuit, sed semper frustra, ut ob irritationem nimiam ab illo desistere cogerer. Tandem licet aegri sanari videntur, tamen caute diaetam servent, in hoc casu enim aeger invitis medici monitis se incautius aëri injuriis aliisque noxiis exponens haemoptoes malum sibi contraxit, quod tamen jam facile compescebatur; postquam autem ab itinere e Gelria in urbem rediit, semper sanus et ab omni labe inmunis mansit, ut jam mense martio 1826 omnia negotia motusque corporis in aëre quotidie perficiat sine ullo incommodo.

Casus V.

Puella 23 annos nata, cujus mater et duae sorores phthisi vehementi succubuerant, tertia soror marita simul phthisi affecta in ultimo jam stadio decubuit, constitutionis tenerae, sensilis, phthisicae mense Aug. 1825 tussi afficiebatur sic-

sicca; medicus vermes suspicans remedio quodam plures vermes expulsit, tamen sine ullo tussis levamine; haec tussis pedetentim augebatur, accedebat febricula hectica et post diuturniores accessus vomitus, quo cibus et potus omnis ejiciebantur; his accedebant sudores nocturni, macies insignis, decubitus lateri dextro impeditus, coarctationis sensus et dolor in scrobiculo cordis, contra quae a medico quodam celebri fontaceum in scrobiculo apponebatur, sed sine ullo fructu; haec symptomata adeo increscebant, ut tussi continuâ nullo fere somno reficeretur misera, omnia alimenta levissima ceterum ejiciebantur, remediis vix ullis blandissimis licet uti amplius potuit, quum vomitum cierent; cubile prorsus relinquere non poterat; sensilitas et debilitas adeo increverant, ut post quemvis inexspectatum cujusdam adventum lipothymia oriretur; a tussi omni fere momento vexabatur; sudores autem nocturni post aquae calcis usum jam per aliquod tempus remiserant; decubitus in utrumque latus impeditus. Hoc in statu arcessitus vir expertissimus LUBER, in hac urbe medicinam feliciter exercitans, in casu adeo desperato nihil quidquam posse valere perspexit, nisi moxae applicationem, cujus casus felix mox narratus in diario *Letteroefeningen* nuper erat insertus; me ita-

que invocavit, ut stethoscopio sedem indagarem, cui moxa esset imponenda; hinc 29 Oct. 1825 una accessimus; inveni puellam descripto statu misero decumbentem, pallidam, facie phthisica, pulsu frequenti parvo, respiratione celeri, loquela abrupta; alvum vulgo paulatim obstructam, neque diarrhaeam adhucdum passam fuisse audivi; stethoscopio applicato in pulmonis sinistri superiori lobo paulo infra claviculam pectoriloquium clarum audivi, in pulmone dextro aliquod; hinc consentiente aegrâ moxae applicationem fecimus, illamque diu loco notato retinuimus, ita ut crena profunda nigra oriretur, quam applicationem puella tenera et sensilis ceterum fortiter sustinuit; postquam autem cutis semel flagrata est, non amplius dolet, ut moxam diu licet continuatam jam longe minus dolere testaretur, quam in initio; durante applicatione licet inexspectatâ moxae nulla tussis oriebatur, qua antea fere continuo vexabatur; fontaccum in scrobiculo cordis, de cujus dolore et molestia diu conquesta fuerat, removimus, sensus enim constrictionis molestus in praecordiis nullo modo illo remedio mitigatus fuerat; sputa examinans ante moxae applicationem ejecta inveni tenacia, flava, pituitoso-purulenta, non vero globosa; remedia emollientia praescripta sunt.

Se-

Sequenti die 30 Oct. testabatur se moxae dolorem quotidie subire facile velle, si tam placidam noctem hoc modo sibi parare posset, per 3 enim integras horas dormiverat sine ulla tussi, quod in 8 hebdomadibus illi non contigerat, vomitus nondum redierat Heri soror tertia phthisi occubuit, eadem itaque die, qua moxam applicavimus.

2 Nov. ad aegram accedentes dormientem invenimus; narravit tussim longe rariorem esse noctesque meliores, ut jam 7 horas a tussi libera manserit; omni praecordiorum constrictione remotâ vomitus post moxae applicationem nondum secutus fuit; saepe autem per diem dormiebat; licet expergefieret et nos inexspectati accederemus, tamen nulla lipothymia oriebatur, quae antea inexspectato alloquio vulgo excitabatur; pulsum inveni magnum, durum, febrilem, faciem rubram, ut febris quaedam esse videretur; crusta nigra areolo rubro margine acuto jam cingebatur; sputa per 8 horas ejecta pituitosa minus flava erant et exiguâ copiâ, ceterum facilius ejiciebantur.

3. Heri prima vice post applicationem moxae levis vomitus secutus fuit, forsan vero fumus ex camoeno vel febris illum excitaverat, ceterum somnus placidior, sputa paulo copiosiora sed facilius ejiciuntur, vires increscere videntur,

quum jam res moliatur, de quibus ante applicationem moxae ne semel cogitaverit; pulsus mollior, nulla febris, post aliquot vero dies, licet tussis rara adfuerit, delirium oriebatur, vomitus autem aut praecordiorum anxietas non rediit, vires tamen de novo decrescebant, et tandem die post applicationem 12 obiit, antequam moxa in suppurationem transierat.

Saepius vidi, si ulcere nimia pulmonum pars consumta fuisset, tussim post applicationem moxae adhuc mitigari vel sputa purulenta magis pituitosa ejici.

Navita 40 annos natus, qui jam per 4 annos tussi vehementi vexabatur, per 2 annos ultimos semper vomitu alimenta toties ejecit, tussi quoties afficiebatur, tandem in nosocomium delatus est; omnibus frustra tentatis, ut huic aegro, qui misere torquebatur et summa emaciatione fere consumtus erat, aliquod solamen adferrem, tandem moxam applicavi in pulmone sinistro, quo stethoscopii ope vomicam inter 2 et 3 costam detegeram; sequenti die pectus esse magis liberum affirmabat, neque tussis adeo molesta et frequens, vomitus minor, ut alimenta non redderentis. Haec tussis postea rarior facta est et vomitus subito prorsus sublatus est, post 3 vero dies diarrhaea oboriebatur, qua viribus prorsus consumtis post 14 dies obiit; inveni in cadavere pul-

pulmonis sinistri cellulas hic illic valdopere dilatatas, saltem ad 3 linearum diametrum, in superiori vero lobo versus dorsum sub crusta moxae applicatione nata vomica insignis aderat magnitudinis, parum vero puris continens; pulmo ubique, sed praecipue in loco, quo moxa applicata erat, costis accreverat, musculi vero intercostales eo loco non erant inflammati, pulmo dexter *hepatisatione*, uti dicunt, ubique erat affectus.

Itaque longissime absit opinio, moxae applicatione phthisin semper posse curari. Est terminus quidam, supra quem natura non amplius pulmonum nimiam destructionem restituere valet; e contrario sedula observatio nos docuit, moxam revera saepe nocere posse; stimulus enim est vehementior, qui inflammationis symptomata in initio saepe auget, praecipue paullo ante suppurationem, quae die 12 ad 14 vulgo incipit, ut a 9 ad 14 diem pectoris mala graviora reddi observaverim, quibus hirudinibus apponendo succurrere debuerim, praecipue in junioribus irritabilibus hominibus, incepta vero suppuratione demum aliquid boni praestat. Hanc ob causam in pluribus casibus fontaceum praefero, sed magnum, bene suppurans; in adultioribus minus sensilibus vero aegris, vel ubi labes quaedam, uti podagrica, revocanda est vel latet, uti

in

in casu nostro IV moxae vires prae fontaceo sunt laudandae; in junioribus fontaceum semper primo tentandum judico; e casu vero IV patuit, fontaceum longe minori vi agere ad phthisin compescendam; fontacei enim applicatio quidem levamen symptomatum faciebat, sed tantum pro tempore, moxa vero eodem fere loco applicata sanationem perfecit; aeger autem erat adultus et minus irritabilis; junioribus vero minus convenit ejus applicatio.

Omnis igitur indicatio, si ad casus memoratos attendamus, haec mihi videtur, ut pulmonum et vomicae inflammationem tollamus; vomica enim ipsa nisi nimiam destructionem jam effecerit, non tanta mala gignere videtur, si modo ejus parietes inflammatione correpti non nimis in suum malum corpus trahant; in casu enim II et III vomica in utroque pulmone aderat, sed nullum phthisis signum, praecipue in II casu amplius conspici poterat, ita ut haec aegra invitâ pulmonum labe sana et e morbo bene nutrita nosocomium reliquerit, de nulla tussi aut febricula quaerens. Et quo majorem meis dictis auctoritatem conciliem, cum omnino jure veteribus magna auctoritas tribuenda sit, testes laudabo veteres, non modo universe dictum HIPPOCRATIS, quod ferrum non sanat, ignis sanat, sed Celsianum locum, e quo, etsi forte huic

huic HIPPOCRATIS dicto etiam lucem afferat, clarissime apparet, illam memoratorum derivantium efficaciam in compescenda tussi jam veteres observasse et commendasse, praecipue in phthisis gradu vehementiori; monet autem CELSUS. » Si » vehementior noxa est, ac neque febricula, ne» que tussis quiescit, tenuarique corpus apparet, » validioribus auxiliis opus est. Exulcerandus » est ferro candenti, uno loco sub mento, al» tero in gutture, duobus ad mammam utram» que, item sub imis ossibus scapularum, quas » ωμοπλατας Graeci vocant, sic, ne sanescere » sinas ulcera, nisi tussis finita fuerit." (*a*) Licet haec methodus nimis heroica dici possit, tamen horum usu tussim mitigari CELSUM jam observasse satis patet. At vero et ipsa natura haud semel hanc viam monstrat, qua pus foras ejicitur, neque rara sunt phthisis sanatae exempla, si puri ulceratio exitum foras dederit: quod semel in puella observare mihi contigit, quae fere ad ultima jam reducta magnam puris quantitatem cum omnium symptomatum levamine per ulcus sua sponte in sinistro latere exortum emisit; post sex menses autem epidemia maligna regnante febre nervosa putrida corripiebatur et succubuit, postquam phthisis nulla signa jam diu

(*a*) De Medicina libr. 3. cap. 22.

diu adfuerant, et nutritio restitui inceperat; cadaver lustrare mihi non licuit.

Moxa autem sequenti modo optime componitur ab expertissimo chirurgo SCHRÖDER, qui in nosocomio suburbano mihi semper humanissime adstitit, et cujus industria et habilitate plurimum in his me debere grate testor: eligit linteum tenuissimum ex urtica urente paratum (*Neteldoek*), quod prius in solutione valdequam diluta nitri puri ponit; dein hoc bene exsiccari debet et fasciae in modum unius pollicis latae convolvitur; jam accendatur flammae, et si aequaliter ab una parte comburi incepit, in locum morbosum deponitur; tali modo moxa sponte prorsus deflagrat omnisque massa in cineres vertitur et crustam satis profundam facit.

Mirum autem nonnullis videri possit, magni remediorum numeri, quae tantis laudibus saepe ab auctoribus extolluntur, nullum fuisse a nobis laudatum: quibus ita occurremus, ut iis breviter enarremus, quid de singulis principibus medicamentis me docuerit experientia.

Specificum, ut ajunt, phthisi remedium nullum esse, non facile medicus dubitat; plurima vero et quidem sibi contraria phthisi laudantur, ita ut si ipsam remediorum sylvam contueamur, plane sibi oppositis remediis phthisin fuisse curatam testentur varii auctores; inter illa saccharum

rum saturni primum memorandum venit; saepius phthisi purulentae hoc saccharum adhibuimus, sed semper, si verum profitear, sine fructu, immo haud raro abdominis dolores et tormina exiguâ etiam ejus quantitate et temperatâ opio secuta vidimus; et vero alii querebantur exscreationem difficiliorem reddi et anxiam, idque praecipue, si pulsus frequens esset et genae rubescerent; etiam quibus magna erat mobilitas et fibra tenera, nihil profuit illud saccharum; semel tantum in phthisi pituitosa incipiente vel bronchitide, cum multum pituitae tussi ejiciebatur, tussim et exscreationem hoc remedio sedatam et cohibitam vidi. — In phthisi autem vere purulenta praecipue in juvenibus non ut utile, sed ut malum et inutile nobis apparuit.

Neque cortici peruviano majores laudes in hoc morbo tribuendae sunt; nimis enim irritat, inflammationem auget, qua vires citius adhuc consumuntur. Sulphatis quininae tantillum aliquando ab aegris perfertur, et indicatum esse potest ad debellandam febrem intermittentem, quae phthisicis praeter hecticam aliquando accedit, at saepiùs nimis incitat, et tussim exasperat; majores tum tribuendae esse videntur laudes magisterio bismuthi, quod administravimus cum pulvisculo Doveri ante febris accessum; e. g. magist. bism. ad gr. 2 in quovis pulvere

prae-

praescribimus, ut ante febris accessum tales pulveres tres adhibeantur, qua ratione sine ulla noxa saepius febrem profligatam vidi, neque vomitum hoc remedio cieri observavi.

Lichen Islandicum, polygalam amaram phthisi purulentae numquam prodesse vidi; demtâ autem inflammatione convalescenti aegro utilia mihi aliquando visa sunt: quod idem de phellandrio aquatico valet; at nisi inflammatio et irritatio pulmonum essent sublatae, ab illo remedio omnino nos abstinere debuimus; in uno casu phthisis calculosae, quo calculi cum pure commixti subinde ejiciebantur, uvam ursi tentavimus eo effectu, ut puris sapor foetidus gratus post duos dies dulcis evaderet et fere insipidus; post 4 vero dies pectoris oppressio augebatur et inflammatio adeo augebatur, ut venam secare debuerim, neque postea stimulans remedium aegra ferre potuerit; saepius tentavi pulsus frequentiam digitali compescere; nunquam vero profuit, neque pulsum tardiorem factum vidi, licet diu et satis usi fuerant aegri; postquam vero inflammatio post moxae aut fonticuli in pectore applicationem demta erat, pulsus sponte sine ullo remedio naturalis et major evadebat. In aliis etiam casibus, in quibus causa quaedam materialis aut irritans, quam tollere non poteramus, pulsum accelerabat, digitalis ope nunquam pul-

pulsum tardiorem reddere potui; sic ex. gr. in aneurismate aliquando praescripsimus digitalis illam quantitatem, ut post aliquod tempus vertigo oboriretur, pulsus vero neque durante usu remedii, neque postea reddebatur tardior. Si vero causa materialis adeo irritans non aderat, sed sensibilitas aucta cum pulsu frequenti, digitalis usum subito pulsus tardus insequebatur, uti in maniacis, quo vulgo tranquilliores reddebantur, sed tantum pro tempore, ita ut pulsu post remedium sublatum accelerante etiam agilitas rediret. In bronchitide post inflammationem diminutam pulsum usu digitalis rarissimum observavimus.

Nos igitur in phthisi nos abstinentes a calidis, venenatis, fallacibus remediis optimum et judicavimus et invenimus, quem curare non poteramus, sedare morbum et mitigare adhibendis emollientibus, blandis, lenientibus, nitrosis, antispasmodicis, leniter paragoricis; in quibus cum illa remediorum genera satis cognita sint, tantum hoc memorare volumus, nobis multum boni praestitisse integrum extractum hyoscyami.

Itaque praecipuis phthisis purulentae momentis consideratis restat quaestio, num aliae species phthisis sint admittendae, num omnis phthisis ex tuberculis originem ducat. — Id non

I sem-

semper accidere mihi visum est, quidquid BROUSSAIS, LAENNEC et LORINSER ad hanc opinionem oppugnandam adferant. Etenim non raro perscrutando cadavera siphiliticorum, qui, dum vivebant, phthisici videbantur, inveni in pulmonibus praecipue in medio lobo ulcus quoddam seu pus collectum sine ullo tuberculo cingente, ita ut pus quodam cavo contineretur, neque membrana cingens aut induratio posset distingui; in ejusmodi pulmonibus nulla pleurae pulmonalis exsudatio erat, ut externe et tactu etiam pulmones sanissimos crederes; nisi saltem ulcus nimium adesset, numquam in lobo superiori pulmonum, quod in phthisi purulenta semper fere accidit, has ulcerationes inveni, sed non longe ab initio bronchiarum, ita tamen, ut medium pulmonis parenchyma occuparet. Si ulcus nondum magnum sit, praeter tussiculam vix alia phthisis symptomata prodeunt, nisi emaciatio; genas autem rubras non semper observavi, si ulcus pulmonis magnam destructionem nondum effecerat.

Hanc phthisin siphiliticam licet jam valdequam provectam tamen posse sanari sequens casus memorabilis docet, scilicet puellae natae anno 1804 a parentibus siphiliticis; mater enim diu ulceribus crurum siphiliticis vexata fuerat, quem morbum verisimile est eam a viro eodem malo affecto sibi consci-

vis-

visse, cum pater nostrae aegrae, praeter continuam tussim, expectorationem purulentam et ulcus in latere sinistro, forsan bubonem, palatum ex ulcere siphilitico amiserat, unde vox sibilans orta fuit; sorores ipsius quatuor magis minusve de pectoris malis et tussicula queruntur, ceterum sanae; una harum bene nutrita erat, neque ullum phthisis indicium monstrabat; reliquas non vidi.

Nostra aegra jam in cunabilis tineâ capitis afficiebatur et exanthemate quodam forsan siphilitico; a tinea tamen emplastri picei ope a quodam chirurgo sanabatur; dein bene valuit, usque dum anno aetatis 8 ulcus ad angulum oris sinistrum et simul aliud sub mento oriebatur; quantum sibi recordaretur, cataplasmatum ope ab his sanata fuit sine remedii interni usu; paulo post autem febre tertiana et dein quartana afficiebatur pertinacissima, ita ut paucis intervallis exceptis per 3 annos hac febre vexaretur; tandem vero agyrtae circumvagantis auxilio, qui illi mixturam quandam dederat, ab hac febre sanata est. Non ita diu post vero ulcusculum in gutture exoriebatur, contra quod auxilium quidem petiit a quodam medico, sed subito remedia neglexit, usumque ulteriorem recusavit; ulcus tamen pedetentim proserpebat, ita ut loquela nasalis exinde oriretur; simul tussicula afficiebatur, colli glandulae tu-

 mes-

mescebant, inque suppurationem transibant; his accedebat dolor auris sinistrae, quo per annum vehementer angebatur, an ex ulcere palati et pharyngis sinistrorsum vergente, quo inflammatio per tubum EUSTACHII proserperet, definire non ausim; omnia vero pedetentim in pejora ruebant, tussis augebatur, incubitus molestus tam dorso quam lateribus ob tussim exinde excitatam; sputa tussi ejecta magis magisque striis sanguineis tingebantur; de pectoris autem dolore vix sibi recordatur; anno aetatis 16 tandem haemoptoe, oriebatur, quae aliquoties redibat, remediis tamen vix ullis contra haec mala urgentia usa fuit, usque dum anno 1821 in nosocomium suburbanum delata meae curae mandabatur; puella erat jam habitus phthisici, genae circumscripte rubrae, oculi magis prominentes, sclerotica valde diaphana coerulea, pectoris anxietas et ardor; inspiratio non difficilis, neque lateribus neque dorso decumbere poterat, pulsus durus, frequens, parvus, ungues paulatim incurvati, tussis ceterum frequentissima; ulcus siphiliticum in palato aderat, quo vox sibilans reddebatur, menses nondum adfuerant; brevi post cum in nosocomio recepta fuerat, haemoptysis exorta est sanguinis lacte rubri cum pectoris calore interno; V. S. institutâ post aliquot momenta iterum haemoptoe rediit tanta et sanguinis

lac-

laete rubri, ut saltem libram i β aequaret; bibendo vero aquam frigidam haemoptoe coercebatur, sanguis V. S. eductus valdequam inflammatorius erat et sequenti die omnia symptomata tantam inflammationem monstrabant, ut V. S. repeterem; vespere nova haemoptoe sequebatur, pulmonibus fumo quodam forsan irritatis; interne utebatur mixtura refrigerante antispasmodica cum digitali; decubitus omnis jam impeditus erat, exscreatio purulenta copiosa: postquam vero iteratis venae sectionibus inflammationem mitigaveram, haemoptoe, quae post duas dies iterum rediit, tandem devicta est. Accendebatur vero febricula vespertina cum ardore manuum, sputa copiosa purulenta in aqua subsidentia; quum vero post aliquot dies fonticulum in brachio applicare vellem, applicationem negavit et me invito e nosocomio 14. Jan. 1822 exiit.

Jam ad curam cujusdam chirurgi confugiens utebatur emulsione quadam, et operationem quandam in gutture subiit. Nec tamen malum levabatur, quumque sumtus tantos solvere non posset, ab ulterioribus remediis destitit, eo effectu, ut omnia symptomata phthisis pedetentim augerentur: tussis porro frequens molestus continuat cum sputis purulentis; mense autem Januárii comate vel lethargo singulari sese affectam fuisse narrabat, sine ulla causa, quae appareret, ita ut

 nul-

nullo modo expergefieri posset; consilio cujusdam pharmacopolae ab ulterioribus tentaminibus ad illam suscitandam destiterunt, quia a mensibus retentis hoc symptoma deducebat, et naturae illam esse committendam judicabat; hic somnus, quod etiam soror ejus testabatur, per 14 dies durabat sine ullis vigiliis, ita ut neque alimentis neque potu per omne hoc tempus uteretur; tussis nulla adfuit, respiratio erat lenta, neque urinam hoc tempore fecisset, neque alvum deposuisset; tandem ad se rediit; dolor in gutture increscebat, vox magis sibilans et tussis cum omnibus symptomatibus rediit; haemoptoe aliquoties fuit orta, sputa copiosa purulenta; maxillae oriebatur rigiditas cum dolore in articulo sinistro, ut os non ultra pollicem posset apperire.

Hoc modo vitam miserrimam toleravit, tussi continuâ, quae in aestate et tempore calidiore paululum mitigabatur, fatigata; sputa purulenta salsi soporis; oppressio accedebat pectoris, ita ut tandem mense Decembris anni 1823 in nosocomium redire cogeretur.

Summe mirabar illam vivam adhucdum videre, quam jam diu phthisi consumtam credideram; ejus adspectus et facies dici non potest, quam miserrima esset; ob debilitatem vix ac ne vix pedibus instare poterat, oculi valdequam prominebant, macies summa totius corporis, ge-

nae

nae leviter rubescentes circumscriptae, tussis purulenta fere continua praecipue durante nocte, ut omnis somnus esset impeditus, febris hectica quavis vesperi redibat cum ardore manuum et sudoribus copiosissimis nocturnis, ungues valde incurvati, decubitus omnis impeditus, ut non nisi antrorsum vergente corpore sedere valeret; ulcus in palato adeo increverat, ut palatum molle praecipue in sinistro latere consumtum esset. Os ob rigiditatem maxillae non longe ultra pollicem dimidium aperiri poterat; deglutitio impedita praecipue fluidorum, ut non nisi duris solidis alimentis uti posset, vox admodum sibilans.

In hoc casu desperato siphiliticam labem diluere et tollere tentavi, quamobrem merc. dulc. cum opio praescripsi, quibus addidi decoct. lich. island.

Quum vero salivationis signa subito ostenderentur, pulveres omittere me coactum vidi, et ad sudores nocturnos coërcendos tentavi sequens remedium:

℞ *Sachar. Saturni.*
Op pur aa. gr. ii.
P. rad. Ipec. gr. iv.
Sach Lact. dr. iv.
m f. pulv. N. viii.

Sumat bis de die pulverem.

post duos dies de doloribus colicis et anxietate pectoris majori ut et exscreatione majori

querebatur, quam ob causam illos pulveres mox omisi; administravi jam emollientia, et licet debilitas contraindicare videretur, ob dolorem pectoris redeuntem et oppressionem majorem initio Januar 1824 V. S. parvam institui, qua multum diminuebantur symptomata, sanguis valdequam inflammatus erat. Hic status continuabat ad 22 Febr.; quando iterum mercurium cum sulphure aurato praescripsi, quorum usum sine ullo salivationis signo bene perferre poterat, usque ad mensem Aprilis, licet quotidie gr. 1 merc. uteretur; aliquando V. S. parva instituebatur, quae levamen semper afferebat; quum autem de totâ generis et vitae illius historiâ nunc demum certior redderem, siphilitidem licet hereditariam fortius debellandam duxi, quam ob rem 5 April: administravi sequens decoctum cum pulveribus:

℞ *Rad. Sarsapar.* ℔ β
— *Liquirit.* ℥ β
Coq. s. a. q. ad col. ℥ xxiv.

biduo consumendum.

Ejus conditio jam eadem fere erat, quae initio, et omnia phthisis symptomata eodem gradu continuabant.

9 April. narrat a decocto magnum oriri levamen tussimque diminui; genarum rubor revera minor videtur, ulcus palati longe minus, ar-

ardor manuum et febris hectica multum immi- nuti, somnus antea inquietus jam longe pla- cidior.

29 Aprilis; quod vix credere poteram, eve- nit; mirum scilicet in modum omnia sympto- mata phthisis minora erant, genarum rubedo prorsus naturalis, tussis longe minor et rarior, exscreatio facilis, non amplius purulenta, sed spumosa tantum sputis in aqua natantibus, sudores nocturni prorsus sublati, ulcus palati fere sana- tum, inspiratio facilis sine tussi insequente; jam obambulat, quum antea cubile vix relinquere posset, decubitus in dorso et lateribus facilis sine ulla tussi, somnus quietus, appetitus mag- nus, nutritio bene vigere incipit; continuat uti eodem decocto, et pulveribus.

9 Maji: jam pectoris mala fere sanata viden- tur, inspiratio ampla sine ulla tussi, pulsus antea frequens, parvus, aliquando subdurus, jam mollis, lentus, naturalis, tussis rara, aliquando spastica quaedam adesse videtur, sed dies inte- gras non raro a tussi libera manet, exscreatio fere nulla, aliquando spumosa, ut nunc demum se prima vice durante totâ vitâ experiri grata testetur, quid sanitas sit, qua antea nunquam fruebatur; oculi non prominentes, naturales; vires in diem increscunt, scalas sine incommodo ad- scendit, febris nulla, neque ardor manuum;

dolores capitis et narium, de quibus in initio querebatur, ex decocti Sarsaparillae usu prorsus sublati; aliquando vero vesperi pedes quodammodo oedematosi fiebant, quod post usum digitalis et linimenti e spiritu vini camphorati sublatum est; diu adhuc illam in nosocomio retinui, metuens ne recidivum malum pateretur. Continuavit decoct. Sarsap. licet temperato uti, a merc. usu tamen destiti, metuens morbum mercurialem, licet nulla salivationis signa prodirent; bene autem se habuit, ita ut tandem bene nutrita, tussicula tantum spastica interdum superstite, nosocomium reliquerit. Mense Martii 1826 illam adhuc sanam et bene nutritam vidi, tantum de febre intermittente apud me auxilium quaerentem, quam cito submovi; nulla phthisis signa aderant, ungues tamen curvaturam adhuc solitam servant et vox sibilans mansit.

Memorabile est in hoc casu, phthisin, licet ad ultimum gradum progressam, adeo lentos progressus fecisse, ita ut, quum vix crederem, postquam nosocomium iterum intrasset, sequentem diem miseram superstitem fore, tamen a mense Decembri ad Aprilem fere in eodem stadio viveret, nisi quod diaeta nutrienti viribus collabentibus, quantum posset, occurrerem; quin et duos annos phthisis eo gradu continuavit a 14 Jan. 1822 ad Decembr. 1824,

quem

quem alii aegri vix duos menses perferre solent.

Praeterea, quod in genere observavi, Merc. dulc. cum Opio cito salivationem excitabat, cum sulphure autem aurato conjunctum mercurium per menses aliquot sine noxa ferre potuit; usui autem protracto hujus mercurii pro magna parte insignem effectum Sarsaparillae adscribimus; saepius enim vidimus decoct. Sarsaparillae in illis siphiliticis, qui nullo antea mercurio usi fuerant, vix aliquid boni praestare, postquam autem mercurii dulcis usus per aliquod tempus fuerat protractus, sarsaparilla sanationem cito perficiebat; hinc mala siphilitica vetusta saepe tam egregie hoc remedio curantur, quum tales aegri satis mercurii antea usi fuerint; similem effectum memorabilem vidi in aegra, quae omnia phthisis laryngeae symptomata clare monstrabat, sed in qua labes siphilitica latebat, quae prorsus hujus decocti usu sanata est.

Accedimus tandem ad quaestionem saepius jam motam, num revera differant a se invicem phthisis florida, purulenta, et phthisis pituitosa, et quanam in re.

Magnum inter utramque speciem esse discrimen tam observatio ad aegrorum lectulos, quam cadaverum sectiones me abunde docuerunt; aliquando enim aegri tussi fere continua vexantur

tur cum expectoratione longe copiosiori, quam in phthisi purulenta vulgo obtinet; sputa in initio limpida, mucosa, subflava tandem purulentam indolem contrahunt; tussis autem molestior et magis continua aegros vexat, quam in phthisi florida; pectoris oppressio major, saepe cum raucedine; in utrumque latus, plerumque tamen in dorso jacent; postea vero major pectoris oppressio accedit, ut antrorsum vergente corpore sedeant, licet id non semper accidat; aegri porro magis morosi et tristes sunt, suumque morbum lethalem plerumque considerant, quod in phthisi purulenta secus est.

Facies autem pallida, genae nunquam circumscripte rubent, quamdiu inflammatio magis acuta et suppuratio nondum adsunt, id est, quamdiu phthisis pituitosa nondum in purulentam transiit; facies phthisis signa adeo characteristica non ostendit; in initio labia saepe paulatim coerulea vidi; aëris vicissitudinibus maxime moventur; pulsus differt, vulgo est celerior; tandem febris hectica accedit, qua durante tussis exasperatur, vulgo autem minus regularis est, et febris intermittentis decursum servat. Sequitur emaciatio, neque raro hydropis et praecipue hydrothoracis symptomata accedunt cum pedum oedemate; jam facies flave pallescit, oculi tamen non prominent, neque ungues in-

cur-

curvatos observavi; tandem aegri summe emaciati et tussi et anxietate enecati consumuntur. (*a*)

In cadaveribus inveni pulmones ubique pleurae costali accretos.— Vidimus antea in phthisi purulenta tubercula et dein vomicam majorem in pulmonum lobis superioribus adesse, in phthisi pituitosa vero tubercula per omnem pulmonem utrumque dispersa sunt, ut non raro in inferiori et medio lobo majori numero adsint; in ulteriori morbi progressu plures parvae vomicae oriuntur, praecipue in medio pulmonum lobo; cellulas pulmonis non raro valde dilatatas inveni, quale specimen in spiritu vini conservo, in quo, vasis sanguiferis cera impletis, plures cellulae lympha coagulabili alba impletae per omnem pulmonem, praecipue in inferiori lobo apparent, quae pluribus locis in vera tubercula confluxerunt; hinc aperto cadavere pulmones, si hos digito exploramus, universos duros invenimus; bronchiarum tunica mucosa morbose affecta et inflammata est et muco tenaci purulenta tecta.

Itaque videtur haec phthisis species originem non ducere ex uno alterove tuberculo vel lobulo indurato pulmonum, quod in phthisi purulenta vi-

(*a*) Vide de hoc morbo egregium tractatum HASTINGS: Ueber die Entzündung der Schleimhaut der Lungen pag. 310 sqq.

vidimus, sed bronchiarum tunica mucosa quaquaversum per pulmones inflammatur, quae inflammatio, postquam in ipsas cellulas sese disperserit, ibi tubercula facit, quae tandem, postquam phthisis pituitosa in purulentam transierit, suppuratione facta vomicas plures pure impletas gignunt. In phthisi purulenta contrarium fit; tubercula quaedam in initio in lobo superiori formata in suppurationem transeunt, quae suppuratio ad bronchiarum truncos versus progreditur; in phthisi pituitosâ affectio membranae mucosae a trunco ad ramos et peripheriam proserpit, quae tamen minus acuta lentius cursum absolvit, ut saepe in initio nihil aliud nisi irritatio et secretio perversa muci dici possit, quae progressu mali tunicae mucosae structuram afficiunt, inque cellulas ducuntur, illa obstruunt et tubercula creant (*a*); tandem ingens saepe vomicarum minorum numerus oritur, phthisi pituitosa in purulentam transeunte.

Glandulas meseraicas vulgo induratas inveni, raro autem in intestinis ulcera aderant, quae in phthisi purulenta plerumque oriuntur.

Itaque tussis frequentior et sputa copiosiora facile explicantur, quum membrana mucosa per to-

(*a*) Vide ONTYD in egregio tractatu over de Longtering, Geneesk. Magazyn, 2. D. 3 St. p. 86. HASTINGS l. c. p. 336.

totum pulmonem multum muci effundat et irritatione continua tussim frequentiorem cieat.

Stethoscopii ope minus facile vomicam percipere potui, hic illic susurrus respiratorius minus manifestus erat, quibusdam in locis aërem per mucum quasi sugi audire poteram.

Monuimus jam inflammationem vulgo magis esse chronicam, ut in initio aliquando irritatio et secretio tantum perversa adesse videantur; hinc aegri non raro remedia magis tonica, leniter adstringentia perferre possunt, quae in phthisi florida noxia vidimus; aliquando vero inflammationem magis acutam sthenicam observavi, praecipue si irritatio major in bronchiis adfuisset et constitutio aegri robusta junior in sthenicam inflammationem magis prona esset; sic a pulveribus respiratione inhalatis Metallurgi aliique bronchitidem et phthisin pituitosam sibi non raro contrahunt.

Memorabile exemplum talis inflammationis acutissimae, quae ex bronchiis progrediens sese per omnem pulmonis structuram dispergebat, tubercula et tandem vomicas plures generans, observavi in puella 26 annos nata, quae febre catharrali nervosa gravi affecta nostrae curae committebatur, a quo morbo bene reconvaluit, et nosocomium sanata reliquit; de pectoris malo nunquam conquesta fuerat. At brevi post domi suae,

suae, dum jusculo utebatur, ossiculum quoddam in trachea incidit, quo quidem tussis et anxietas oriebantur, ossiculum vero non reddebatur; post aliquod tempus anxietas diminuebatur, sed tussis continuabat, cui dolor in pectore accedebat; pedetentim symptomata increscebant, ita ut 6 hebdomadibus post nosocomium petierit. Dyspnoea gravis aderat, tussis fere continua, dolor in pectore et magna anxietas, pulsus durus, frequens; post V. S. S. repetitas dolor quidem sedabatur, non vero tussis, quae eadem saevitia continuabat; sanguis valdequam inflammatus erat; debilitas autem tanta oriebatur, ut ulterius venam secare non ausus fuerim, eo minus, quum causam venae sectione dimovere non possem; genae jam rubrae maculatae, non vero aequali circumscripto rubore perfusae, qualis in phthisi florida obtinet. Semper corpus antrorsum tenere debebat, omni decubitu impedito, respiratio perquam difficilis erat. Emeticum dare non tentavi, ne inflammatio augeretur; tandem summa anxietate succubuit. Aperto cadavere inveni omnia intestina rubra inflammata, licet de abdominis dolore non conquesta fuerat.

Trachea nigro liquamine impleta erat, pulmones indurati; glandulae bronchiales magnae, nigrae et hic illic suppuratione affectae; pulmo dexter tuberculis pluribus obsitus, inter quae

vomica in medio pulmonum lobo aderat non pure sed nigro liquamine impleta; pulmo sinister ubique tubercula continebat et plures vomicas minores, quales in phthisi pituitosa vulgo occurrunt, sed in bronchi ramo sinistro fere pollicem a divisione tracheae ossiculum muco nigro tenaci obtectum inveni; hoc ossiculum asperum erat, et acumina membranam mucosam adeo penetraverant, ut neque sursum neque deorsum posset moveri; tracheam cum ossiculo in spiritu vini conservo. Itaque patet ex hoc casu inflammationem a bronchiis inde per pulmones fuisse dispersam, inque illis tubercula et vomicas generasse: quum vero irritatio adeo vehemens esset, inflammatio hic celerrime stadia sua absolvit, ita ut vix phthisis pituitosa esset dicenda, quae chronicum magis decursum vulgo servat; addūxi tantum exemplum, ut pateret ex inflammatione bronchiarum tubercula in pulmonibus oriri, qualia in phthisi pituitosa invenimus; quum enim puella antea sana semper fuisset, nullum dubium erat, haec tubercula et vomicas post illapsum in bronchiis ossiculum fuisse orta; in peripneumonia talia tubercula et vomicae nunquam formantur, licet in casu narrato inflammationis vehementia peripneumoniam potius, quam phthisin pituitosam intulerit. Mirabar liquamen nigrum in trachea et bronchiis, quod ab inflammatis glan-

dulis bronchialibus verisimile repetendum est, quae hanc secretionem in trachea perficere videntur; sputa mucoso-purulenta aliquando nigrescentia fuerant durante vita. Intestinorum inflammationem et ruborem saepius in phthisi pituitosa vidi; aliquando etiam in phthisi florida, licet de abdominis dolore non conquesti fuissent aegri; quae inflammatio secundaria sub pulmonum labe latere videtur.

Saepe in senibus phthisin pituitosam observavi valde chronicam, quando nonnunquam sub forma tussis senilis occurrit; in his pulmones non raro ubique indurationibus, tuberculis et vomicis minoribus vel et majoribus, degeneratos inveni, aliquando etiam in junioribus occurrit; de hydrope et hydrothorace insequentibus postea fusius. In initio medicamentis emollientibus, extracto Dulcamarae, Lichene Islandico cum extr. Hyoscyami et Mercurio dulci cum Opio saepius hanc tussim debellavi; febris non raro sulphati quininae, aliquando vero magisterio bismuthi cedebat; sulph. quinin. saepe nimis irritat; si vero febris actione systhema vasorum adeo incitatur, ut tussis durante febre longe frequentior et molestior sit, mag. bism. cum pulv. Dover. ante accessum febris datum egregios subinde effectus praestabat. (*a*)

Hi-

(*a*) Semel vidi tussim tantum fere febris accessu occurrere, ita ut febris larvatae speciem referret, quam sulph. quinin. et mag.

Hirudines pectori appositae levamen aegris adferunt, si inflammatio increscat vel pectoris coarctatio et anxietas aegros nimis angant. Qui plura de hoc morbo velit, adeat laudatam jam descriptionem egregiam HASTINGSII.

---

mag. bism. cito debellavi, ut nulla tussis dein adesset; corticem peruvianum postea egregie digerebat, tandem vero ulcus prope os sternum oriebatur, e quo magna puris quantitas effluxit cum levamine; emaciatione autem et debilitate tandem occubuit. In cadavere inveniebam multum puris inter pulmonem sinistrum et pleuram costalem effusum, quo pulmo quasi comprimebatur; ipse pulmo nullam vomicam continebat et parum affectus erat; argumento pulmones hic tantum irritatos fuisse; quam ob causam bene explicare possim, cur tam bene corticis usum perferre potuerit; caeterum omnia hydrothoracis symptomata durante vita demonstraverat aeger, licet pus tantum in thorace continebatur, inter quae palpebram inferiorem oedemate tumentem loco orbicularis oculi tamquam signum summe characteristicum semper observavi.

BRONCHITIS.

Alia autem datur bronchitidis species, cujus symptomata magis asthmatica sunt; gravis enim dyspnaea adest, facies rubro-coerulea, labia coerulea aliquando fere nigra, manus coeruleae praecipúe ungues, quibus hydropis symptomata semper accedunt, faciesque aegrorum adeo morbum coeruleum refert, ut in praxeos meae initio semel me deceptum fuisse non negem.

Foemina enim constitutionis plethoricae 27 annos natae, sed hydrope universali tumens, nostrae curae committebatur; querebatur de summa pectóris anxietate et cordis palpitatione continua, quam oculo conspicere fere posses; genae autem obscuro-rubrae coeruleae erant, labia subnigra, oculi sclerotica fusce rubescebat, pluribus venis bruneo-rubris tincta, manus inprimis ungues singulariter coerulescebant. Narrabat se a prima juventute inde cordis palpitationibus obnoxiam fuisse, quin et a parentibus audivisse a primo aetatis anno se hoc mor-

morbo fuisse vexatam; color coeruleus autem ante annum demum exortus fuerat, aut saltem illo gradu prodierat, quando et subito hydrops simul oriebatur; menstrua semper bene fluxerant exceptis ultimis mensibus; pulsum inveni intermittentem, ita ut quavis exspiratione remitteret; in hoc casu, uti minus expertis medicis saepius obvenit, valde dubius haesi, num vitium adesset cordis congenitum aut organorum respirationis, nec quid agerem, vidi; colore coeruleo deceptus ven. section. instituere non ausus sum, metuens ne sanguis dissolutus et venosus cum insequenti virium collapsu effunderetur, quam ob causam hydropem debellare tentabam digitali, cremore tartari solubili, aliisque ejusmodi diureticis, post paucos dies vero aegra obiit; cadaver intente aperui, certe credens cordis aliquod adesse vitium; summe autem mirabar, me cor invenire prorsus naturale, nisi forsan ventriculum dextrum paulo majorem; neque foramen ovale apertum erat, neque ductus Botalli, nec vasorum insertio aliquid monstri monstrabat; omnia vasa vero praecipue venae sanguine venoso atro turgebant; pulmones non subsidebant, et colorem rubrum magis referebant, ac si sanguinis congestione turgerent; itaque frustra causam hujus morbi quaerens tandem tracheam dissecui, quando membranam mucosam internam ad lineae

saltem diametrum crassam, et intense rubram inveniebam; haec inflammatio per omnes bronchiarum ramos dispersa erat. Jam evidentem morbi naturam perspexi, commissumque errorem adeo memoriae et animo infixi, ut postea primo intuitu fallacem morbum agnoscerem.

In hoc itaque morbo membrana mucosa crassa aërem impedit, quo minus se durante respiratione cum sanguine misceat, hinc nulla oxydatio, quo omnis sanguis venosum colorem adipiscatur; circuitus per pulmones difficulter peragitur, unde sanguine tument; hinc magna anxietas, dyspnaea et cordis palpitatio. Postea aliquando cor, praecipue ventriculum dextrum enormem inveni, et valvulas arteriae pulmonalis rubescentes, quae rubedo lotione non poterat ablui; semper major minorve seri quantitas in thorace effusa est; sponte patet difficili per pulmones circuitu congestionem continuam versus caput fieri, quam aliquando tantam observavi, ut delirium quin et maniam inferret; in uno casu contigit talem maniam non tantum, sed et ipsam bronchitidem, hirudinibus pectori iterum iterumque appositis et applicatione fomentorum frigidorum capiti, restituere, ut aeger ab omni pectoris malo sanaretur.

Praecipuum signum morbi characteristicum mihi semper sclerotica oculi vasis profunde rubris

bris tincta exhibuit, ut ex hoc solo signo morbum dignosci possis, quibus labia subnigra, genae coeruleae, facies rubra, manusque coeruleae accedunt cum hydrope magis minusve universali.

In nullo morbo hirudinibus, III aut IV modo, pectori appositis tantos vidi effectus praestitos quam in descripto, ita ut methodo antiphlogisticâ diureticâ et saepius hirudinibus adhibitis non raro morbum compescere et sanare contigerit; hirudines autem non multae simul applicentur; venosa enim sanguinis indole et congestione cutem versus tamdiu sanguinis effluxus post earum applicationem continuat, ut altero die aliquando fluxum hunc continuatum viderim; quin et semel secundo die de novo sanguis e vulnusculis profluere incipiebat, postquam per 24 horas sanguinis stillicidium jam terminatum fuerat. Nisi magna adesset pulmonum congestio et anxietas, venae sectionem rarius institui; longe minus enim hoc in morbo levamen adfert, licet major sanguinis copia effundatur, quod plus semel observavi.

Post hirudines appositas semper congestio versus caput diminuebatur, sclerotica naturalem albedinem recuperabat, aut saltem minori rubore tingebatur, respiratio liberior fiebat et color coeruleus labiorum in rubrum mutabatur, ita

ut saepius miratus fuerim, quo modo tam parva sanguinis jactura tantopere membranae mucosae inflammationem compescere valeret. Aliquando autem saepius sunt hirudines adhibendae, morbus enim chronicus est et valdequam rebellis.

Hydrops hunc morbum insequens non difficile explicatur; notum enim est membranas serosas uti pleuram, peritoneum etc. exsudare serum, quo partes lubricae servantur; sin autem quavis de causa congestio vasculorum minimorum et orgasmus seu status subinflammatorius locum habeat in illis membranis, eorum secretio augetur, id est, hydrops exoritur, si vero, uti in introductione exposüimus, inflammatio ad illum gradum pervenerit, ut ipsius membranae textura mutata sit, etiam secretio mutatur, id est, lympha coagulabilis vel pus formatur.

Itaque congestionem diminuendo seri secretio nimia impeditur, qua ex causa explicandum credimus, quod hydrothoracem in hoc morbo saepissime feliciter devincere potuerimus applicatione hirudinum; his accedit, quod in tali statu e congestione spasmus vasorum oriri videatur, quo absorbtio et renum secretio impediuntur; urina enim vulgo rubra, parca est, et non raro eam sponte copiosiorem redditam vidi, postquam hirudines apposueram.

Si

Si congestio magna aderat, digitalis non semper profuit, quin anxietates et dyspnaeam augebat, forsan quia congestionem versus caput auget et cordis pulsationes retardando et debilitando circuitum jam difficilem magis impediebat, quo cor ineptum et impar redderetur, ad impedimenta circuitus superanda, in decursu vero morbi phlogosi demta saepe egregium remedium praestitit Ceterum huic bronchitidi profuerunt, ut observavi, nitrosa, acetas potassae, cremor tartari solubilis, oxymel colchicum, quod oxymelli squillitico praeferre soleo, et de cujus remedii in hydrope debellando vi et efficacia multiplici observatione edoctus sum; his aliquando mucilaginosa et antispasmodica uti extr. Hyosc. adjungimus, vel et pulv. Doveri aliaque ejusmodi medicamina.

Aegram adhucdum curandam habeò, in qua dyspnaea cum cordis palpitatione et congestione versus caput tanto gradu adfuerunt, ut suffocationis summum periculum esse videretur; loquela ob pectoris anxietatem fere impedita erat; labia subnigra, oculi sclerotica vasis bruneis turgida, pedes oedemate tumebant, manus coeruleae: jam per annos asthmaticâ pectoris affectione vexata fuerat. Urina parca erat rubra; post appositas hirudines insigne oriebatur levamen, et urina sequenti nocte longe copio-

sior, quod remediis diureticis refrigerantibus promovere tentabam; postea eadem symptomata ter adhuc, sed minori gradu redibant; appositis autem hirudinibus III vel IV, quibus magna sanguinis quantitas emittebatur et continuato diureticorum usu jam adeo restituta est, ut omnis color coeruleus evanuerit, respiratio libera reddita sit, nulla tussis, nullum oedema, ita ut si vires paulatim restitutae sint, nosocomium relinquere valeat.

Utilitas autem hujus methodi prae ceteris mihi patuit in faemina 44 annos nata, quae ab infantia inde asthmatica et deinde laboribus gravibus occupata, pedetentim anxietate pectoris majori afficiebatur, ita ut vix ac ne vix labores perficere valeret, quae anxietas adeo increvit, ut tandem mense Novembris anni 1824 in nosocomium duceretur; inveni illam respiratione difficili anxiam, facies erat rubra, sclerotica oculorum vasis sanguiferis turgescentibus tincta, pulsus frequens irregularis parvus, cephalaea gravis, lingua sicca, sitis magna, alvus paulo tardior, urina rubra parca, cutis sicca; postquam alvum resolventi remedio moveram, ven. sect. institui et emollientia nitrosa antispasmodica administravi; sequenti vero die post ven. sect. anxietas erat major, pulsus irregularis, sanguis tamen crusta inflammatoria tectus;

tus; continuato autem remediorum usu a 20 Nov. ad 26 Nov. symptomata decrescere videbantur, ita ut respiratio facilior jam esset, oculi minus rubri, et pulsus tardior; omnia vero symptomata iterum increscebant, cum quo incremento scleroticae rubedo augebatur, ut ex oculis aegrae statum satis dijudicare valerem; jam hirudines III pectori apposui eo effectu, ut sequenti die jam bene in dorso decumbere valeret, respiratio longe facilior esset reddita, pulsus magis regularis, sclerotica alba, et urina copiosior secerneretur; jam in dies vires increscebant, palpitationem cordis, quae aliquando aderat, digitalis ope debellavi, motum corporis excercère incepit et respiratio ampla et profunda tussim non inferebat, qui status continuabat usque ad 11 Decembris, quando omnia symptomata forsan e refrigerio suscepto iterum augebantur, pectoris coarctatio redibat et scleroticae vasa de novo turgescebant; appositis autem IV hirudinibus pectori, omnia adeo in meliora vergebantur, ut post aliquot dies nulla amplius respirationis laesio observari posset, et scalas sine incommodo adscendere aegra valeret, quam ob causam sanata e nosocomio exiit. — Eadem methodo puellam 20 ann. natam decumbentem gravi bronchitide sanavi, qua vehementissima pectoris anxietas esset illata, ut ve-

labia prorsus nigra, genae profunde coeruleae, sclerotica venis turgidis fusca essent cum respiratione anhelanti; omni pectoris malo dictis remediis superato diu adhuc in nosocomio remansit ob superstitem debilitatem; tarde enim ex hoc morbo convalescunt, qui adeo rebellis est, ut levi de causa redeat; saepius aegros observavi, quos a morbo fere restitutos crederes, qui tamen refrigerio vel alia de causa rursus in morbum eundem incidebant, e quo non convaluerunt.

HY-

HYDROTHORAX.



Bronchitidi mox descriptae hydrothoracem valde affinem esse ex illius descriptione patuit. Quum vero hydrothorax morbus sit curatu saepe difficillimus, et in patria praecipue in hac urbe fere endemicus, non incongruum duxi quaedam de hujus morbi natura addere, ut sic praecipuos pulmonum chronicos morbos absolvere possem, eo magis, quum nullo morbo tam saepe me deceptum viderim, quam hydrothorace: nam saepe mihi accidit, ut aegrum, quem in tanto vitae periculo versari non credebam, subito extinctum viderim: quod quum aliquoties vidissem, anxie inquisivi, quaenam tandem esset causa tam subitaneae mortis, neque inveni facilem hujus quaestionis solutionem. Plures quidem auctores de suffocatione loquuntur, ac si pulmones sero in thorace effuso compressi respirationem peragere non possint (*a*); postquam vero plures ca-

(*a*) Vid. inter alios FR. HOFFMANN operum omnium supplem. Tom. III. p. 241, § 17.

cadaverum sectiones institueram, ut me de hydrothoracis signis praegressis certiorem redderem, non parum miratus fui, seri quidem majorem minoremve copiam in thorace invenire, non vero tantam, qua pulmones compressione in angustias compulsi respirationis negotium perficere non valerent, aut aditus aëris ad sanguinem arceretur, quin et aliis morbis pulmones longe magis compressos vidi sine ulla suffocatione; specimen pericarditidis ingentis conservo, in quo pericardium adeo pure expansum fuit, ut pulmonem non tantum utrumque obtegeret, sed contra dorsum compressisset, occupando totum fere thoracis cavum; hic tamen aeger diu miseram vitam protraxerat et lente moriebatur; in alio casu inveni ex pleuridite e vulnere thoracis exorto tantam puris copiam in thoracis sinistro cavo effusam, ut cor dextrorsum esset dimotum, ita ut a parte sinistra pectoris aperti, postquam pus effusum fuerat, aorta et oesophagus apparerent, pulmone sinistro fere prorsus compresso et deleto, et tamen diu adhuc aeger vixerat. — Quantopere in phthisi pulmones consumi possint, ut vix, quo respiretur, supersit, supra vidimus; quibus addendum est, quod e compressione pulmonum quidem mors lenta suffocationis symptomatibus stipata inferri possit; quis vero credat, uno momento tantam seri co-

copiam in pectore colligi, ut pulmones tam cito comprimantur et mors subitanea insequatur. Neque in illorum cadaveribus, qui subito Hydrothorace occubuerant, majorem quin saepius minorem seri quantitatem in thorace inveni, quam in illis, qui lente fuerant mortui.

His pluribusque argumentis moti aliam mortis causam inquisivimus, accurata cadaverum sectione mortis causam erui posse sperantes.

Itaque postquam saepius cordis valvulas in Hydrothorace osseas vel quovis modo affectas inveneram, huic praecipue causae primo mortem subitam adscribendam censui, qua circuitus impediretur; ulterior autem inquisitio monstrabat, nullam saepe valvularum adesse affectionem morbosam, licet aegri inopino hydrothorace sublati fuissent, quamobrem ab hac opinione postea destiti.

In ipsis pulmonibus vero causam quaerendam esse jam opinabar; quam sententiam non parum confirmatam vidi egregio tractatu HASTINGSII, qui e bronchitide hydrothoracem oriri testatur (*a*) et egregiam morbi hujus explicationem tradit; et revera inveni in omnibus cadaveribus hoc morbo mortuis pulmones licet externo adspectu sanissimos, semper affectos esse, ita

(*a*) l. c. p. 450 sqq.

ita ut si descindantur, cellulas aëriferas sero impletas invenias, et pulmonis particula si comprimatur, magnam saepe seri quantitatem fundat, vix ulla bulla aërea erumpente; bronchiae sero magis minusve rubro spumante aliquando, subbruneo vulgo impletae sunt, quin et nonnunquam tanta quantitate, ut mirum sit, quomodo aegri aërem adhuc haurire potuerint; membrana bronchiarum mucosa praecipue in ramulis minoribus aliquando etiam in ipso larynge plerumque magis minusve rubet et inflammationis signa prae se fert, hinc pulmones tales thorace aperto non subsident, vasa sanguifera, praecipue arteria pulmonalis, sanguine et polypis tument; cordis ventriculus dexter expansus est, magnus, et polypis impletus; (*a*) in ce-

(*a*) Singulare est phoenomenon, cujus ratio mihi nondum luculenter patet, scilicet serum rubrum saepe insigni quantitate esse in thorace et pericardio in omnibus fere cadaveribus, quae febre biliosa et putrida consumta fuerunt; cor mollius flaccidum est, profunde rubri subbrunei vel purpurascentis coloris, adeo ut facillime dilaceretur; fere semper magnum est, ut enorme non raro in talibus cadaveribus invenerim; lien mollissimum prorsus dissolutum. Hanc seri sanguinei exsudationem in agone mortis fieri suspicor, quia durante vita Hydropis pericardii, vel Hydrothoracis signa in aegris observare non potui; vasa tamen lymphatica praecipue hepatis in talibus cadaveribus eodem sero subrubro semper impleta inveni; mercurium in illa vascula injectum, vidi in vasa pleurae lymphatica transiisse, postquam diaphragma perforaverant, ut in diaphragmatis su-

cerebro nullum apoplexiae vestigium invenire potui. Itaque ex his patet circuitu per pulmones impedito cordis ventriculum dextrum sanguine oppleri; hinc palpitationes adeo frequentes in hoc morbo fiunt; seri copiosa exsudatione aër pulmonis cellulas vix intrare potest, et verisimile mihi videtur, oppletione hac paralysin pulmonum oriri subitaneam vel impedito sanguinis circuitu cor sanguinem non posse distribuere et sic mortem subitaneam inferri; saepe aegri tales alvum movere tentant et ipso hoc momento mortui concidunt; quidquid sit, satis magni momenti nobis visum fuit fallacem hunc morbum paulo attentius indagare et cadaverum sectionibus, quantum in nobis erat, illustrare.

Non enim unica haec causa est, cur hydrothorax adeo lethalis sit; non raro enim accidit praecipue in junioribus hydrothorace affectis, ut convulsiones oriantur, praecipue si facies oedemate magis tumet; hae convulsiones saepissime mor-

superficie elegantissimum rete cerneretur; quaenam autem sit ratio, cur cor tantopere increscat et molle reddatur, me latere lubenter confiteor; an dissolutio sanguinis, quam in his morbis durante vita jam observamus, etiam in solidis et inprimes corde et liene fiat? Praecipue in autumno, si epidemia biliosa nervoso-putrida regnat, haec phoenomena in cadaveribus observare soleo; post talem epidemiam vehementissimam insolitus durante hieme numerus aegrorum hydrothorace affectorum erat; talia cadavera citissime putrescunt.

mortem intra duos vel tres dies praecedunt, intervalla tamen saepe placida sunt et tranquilla, ita ut aegros se meliores iterum habere testentur, et spes affulgeat salutis, aliquando tamen coma adest. In talibus cadaveribus praeter mox memorata symptomata magnam vulgo seri copiam inveni inter medullam spinalem et duram meningem; saepe hoc serum inter arachnoideam et piam meningem, vulgo tamen inter duram meningem et arachnoideam, vel in utroque loco collectum erat; aliquando etiam cerebri ventriculi laterales sero effuso scatebant et externe sub dura meninge ejus copia tanta aderat, ut non raro in dissectione cranii hac membrana laesa serum copiose efflueret; in medulla spinali vero inflammatio arachnoideae vulgo magis manifeste nobis apparuit, ita ut pseudomembranis vel filis tenuibus non raro durae meningi adhaereret; nuper medullam spinalem puellae hydrothorace consumtae investigans, nullum omnino serum inveni inter medullae membranas, quod in thorace magnâ copiâ aderat; pia autem et dura meninx ubique rubore aequali, lotione non abluendo, erant perfusae, argumento inflammationem nondum seri exsudationem intulisse; cerebrum sanum erat; haec puella meridie convulsionibus afficiebatur, ex quibus adeo convaluit, ut durante vespere me inscio iterum ob-

obambularet, mane sequente convulsiones redibant, quae subito vitae finem faciebant; itaque videtur sympathia, quae inter membranas serosas fit, arachnitidem hoc in casu secundarie nasci, qua irritatio medullae infertur, ut convulsiones excitentur, et simul seri sequatur secretio copiosior; mirandum tamen talem affectionem praeter convulsiones nullo fere symptomate indicari et tam abscondite oriri, ut vix prius symptomatibus sese monstret, quam postquam convulsionibus obortis mors ipsa fere instat; in juvene semel pedum imbecillitatem et stuporem cum doloribus vagis alternantem convulsiones praecedere observavi; in hoc casu magna seri quantitas inter medullae spinalis membranas aderat. (*a*). Foemina, quae hydrothorace laboraverat, sanae erat men-

(*a*) Difficultas, qua medulla spinalis aperitur, causa quoque est, cur tam raro in cadaverum sectionibus ejus indagatio instituatur; instrumento, quod nuper Parisiis huic scopo excogitarunt *Rachitom* dicto saepius usus fui, et fateor facilius hac methodo thecam vertebrarum posse aperiri; tandem autem aliam viam inii, scilicet corpora vertebrarum a parte anteriori cunei ope discindo, ita ut foramina, per quae nervi transeunt, aperiantur; hoc cum quodam exercitio non tantum facilius et celerius perficitur, sed nervi e medulla egredientes non laeduntur, ita ut hac methodo medullam cum nervis suis secernere possis, quod methodo vulgari longe est difficilius, quando nervi paulo ante ganglia vulgo descinduntur, si medulla e theca extollitur; costae hic nullum impedimentum faciunt, quia illorum processus simul cuneo diffranguntur; utile tamen est, si prope vertebras prius diffrangantur.

mentis, diuresis modica, pectoris anxietas et reliqua hydrothoracis symptomata in ea continuabant, appetitus vigebat, et bene loquebatur; quando uno momento mortua concidit. In cadavere inveni magnam seri quantitatem in thorace; calvario aperto nihil mali apparuit, in theca vero vertebrali circa dorsum magna sanguinis quantitas effusa erat, quae partim extra duram meningem, partim intra ejus cavum collecta, medullam comprimebat. Paulo ante mortem facies paulo magis oedemate tumens et singularis mihi visa fuit, licet de nullo dorsi dolore quereretur.

Ex omnibus vero cadaverum sectionibus nobis patuit, in Hydrothorace pulmones ipsos morbosam pati affectionem; membrana enim mucosa irritari videtur, quae irritatio aliquando in ipsam inflammationem chronicam transit; difficulter porro circuitus per pulmones peragitur, ita ut orgasmus et congestio in illis excitentur; inflammatio vero non ad illum gradum pervenit, ut membrana mucosa crassa fiat et sanguinis *oxydatio* impediatur; facies enim in hoc morbo vulgo pallida est, neque labia aut genae coerulescunt, quod in bronchitide supra vidimus; hac irritatione vero et congestione oritur secretio aucta; hinc vapor, qui in sano statu secernitur, jam magis magisque concretus sub seri forma pul-

mo-

monum cellulas implet; hinc tussicula cum sputis pituitosis saepe spumantibus; pleura autem pulmonum in eandem congestionem trahitur, quam ipsi pulmones, quin et semper fere majora minorave inflammationis vestigia nobis monstrabat, ita ut licet externo aspectu pulmones sanissimos crederes, tamen illorum lobos lymphae mollioris exsudatione inter se agglutinatos plerumque invenerim, ita tamen ut facile separari possent; aliquando pleura pulmonum ubique lymphâ flavâ purulentâ tegitur, praecipue si pleuritidem praegressam non bene resolutam hydrothorax secutus fuit, quod non raro occurrit; aliquando pleura sympathice affici videtur, si ascitidi tandem hydrothorax accedit, quando peritonei affectionem pleura partitur.

Ex omnibus liquet, pleurae secretione adaucta serum copiosius in thoracis cavo colligi, quod serum effusum ergo effectus est morbi, nequaquam vero morbum ipsum ejusve causam constituit. (*a*)

In universum testari possum, hydropem raro e debilitate oriri; sectiones enim cadaverum plu-

(*a*) Pleurae vaporis exhalationem in sano statu imitari possumus, aquam tepidam pulmonum vasis sanguiferis injiciendo, quando pleura pulmonis cito aequaliter madere incipit, quin et gelatina injecta ubique tegi observavi. Idem testatur REISSEISSEN lib. cit. p. 13.

plurimae me abunde docuerunt, plerumque majora minorave inflammationis chronicae signa in membranis serosis adesse. In Hydrorachitide arachnoidea pluribus filis et pseudomembranis est obsita; in hydrope arachnoideae cerebri haec membrana crassior facta degenerat; in ascitide peritoneum saepissime inflammationis cujusdam signa monstrat, praecipue ubi hepar pluribus pseudomembranis diaphragmati adhaereat. Omentum plerumque particulis nigrescentibus impletum est, ac si materies nigra, illi glandularum bronchialium similis, in omento esset dispersa, quae particulae sub microscopio ex glandulis minimis constare videbantur; si ascites diutius adfuerit aut citius increscat post paracentesin, peritonei affectio vulgo gravior est, ita ut saepe ubique pseudomembranae formentur, intestina sibimet invicem agglutinentur, vel et suppuratio oriatur; hinc serum paracentesi eductum tantam aliquando lymphae coagulabilis quantitatem in se continet, ut post refrigerationem lympha in formam membranae mollioris praecipitetur; tali in casu semper peritonitis chronica adest; idem de sero in cadaverum thorace post hydrothoracem invento valet; aliquando in peritoneo pustulas innumeras exanthematis miliaris instar inveni, praecipue ubi mesenterium intestina tegere incipit, et potissimum

si

si durante vita scabies chronica diu adfuerat cum cute scabra sicca; injectis vasis lymphaticis mihi patuit, illas pustulas cum his vasis cohaerere, ut tunicis vasculorum lymphaticorum agglutinata viderentur; non semper vero peritoneum in ascitide adeo manifesta inflammationis chronicae signa monstrat; aliquando hepar, aliquando lien affectus est vel volumine auctus; glandulae porro lymphaticae praecipue prope ductum thoracicum tument, et vasa lymphatica dilatata sunt; renes in hydrope nunquam morbosos inveni.

Diagnosis morbi.

Hydrothoracis diagnosin plures auctores difficillimam describunt, et fateor plurima signa, uti anxietatem pectoris et coarctationem, decubitum in dorso impeditum aliaque etiam in aliis morbis observari; oedema autem pallidum palpebrarum inferiorum, praecipue si oedema pedum accedat, signum in hydrothorace adeo constans inveni, ut ex sola facie malum fere semper dijudicare potuerim, neque hoc signo unquam me deceptum fuisse recordar; aliquando tamen, quod bene tenendum est, palpebrae inferiores tument sine hydrothorace, sed tunc pinguedine turgent palpebrae; in hydrothorace cutis sub palpebris oedematosa, pallida, aliquando semidiaphana tumet, circa nares et oculos pallet, vel et subflava est, et rarissime pedum oede-

 ma

ma his deëst; praeterea de tussicula queruntur, non autem tantâ semper, ut magna incommoda inferat; plures vero de pectoris coarctatione et oppressione querelas edunt, neque dorso incumbere valent, quod symptoma oriri videtur congestione in pulmonibus, et difficili per illos circuitu; idem enim signum ex eadem causa observamus in bronchitide, incubo, nonnunquam in phthisi aliisque pectoris morbis; aliquando licet rarius hoc signum in hydrothorace deficere observavi, quod bene in dorso decumberent aegri, neque in somno deterriti expergefierent; aegri autem adultiores erant, macilenti, ut congestionem tantam et vasorum actionem non paterentur; in junioribus vero hoc signum magis constans est; his non raro accedunt palpitatio cordis, pulsus saepe irregularis, qui sub inspiratione profunda liberior redditur et plenior, sub exspiratione aliquando deficit, quod argumento est, circuitum per pulmones difficulter peragi; praecipue haec observamus, si pectoris coarctatio et anxietas majores sint; hinc in bronchitide fere semper hoc signum adesse solet; si palpitatio gravis adest, vulgo hydrops pericardii simul adesse solet.

In initio morbi oedema pedum vulgo oritur, praecipue vesperi, deinde et manus tumere incipiunt, quod si accidat, prognosin vulgo pe-

jo-

jorem reddit; rarius enim tales aegri evadunt, praecipue si urina parce secernatur, ejusque secretio remediis diureticis impelli nequeat, et cutis color subflavescens sordidus inprimis in adultioribus accedat.

Plerumque hydrothoracem in decursu autumni et initio hyemis observavi; aliquando febres intermittentes pertinaces praegressae fuerant, quando vulgo ascites, et lienis vel hepatis vitia simul aderant.

Curatio.

In hoc morbo uti et in omnibus pulmonum morbis semper bene tenendum est, quod praeter cor ipsum nullum in corpore detur organon, quod tantum in circuitu sanguinis imperium excercet, et sensibilitate tanta simul est praeditum; hinc pulmonum morbi non tantum circuitum cito turbant, sed etiam spasmus magis minusve pulmonum morbos comitatur, et in hydrothorace raro deësse solet, quo coarctatio pulmonum et congestio sanguinis adhuc magis increscit; hanc ob causam hydrothorax tantopere differt ab ascitide gravitate symptomatum et pertinacia morbi; cura ergo etiam differre debet; raro enim solis diureticis curatur, quae frustra saepe administramus ad diuresin promovendam; si autem prius congestio in pulmonibus diminuatur, circuitus sanguinis liberior

redditur, et spasmus tollitur, urinam sua sponte sine ullo remedio copiose reddi cum salute aegri observavi; neque facile e memoria casus ille elabitur, quo primum ad hanc rem animum adtendi.

Mulier 59 annos nata tenerae constitutionis nosocomium adibat, querens de gravi pectoris coarctatione et palpitatione cordis, quae omni motu valdequam augebantur; jam per annum $1\frac{1}{2}$ tussi pertinaci et continua exscreatione laboraverat, decubitus in dorso impeditus, et inspiratio profunda, difficilis erat; aliquando pedum oedema adfuerat; pulsus erat irregularis, intermittens, genae paulatim rubescebant, palpebrae inferiores oedemate tumebant; medicus vomicam in pulmonibus latere suspicatus fuerat, cujus auctoritate motus administravi emulsionem amygdalarum cum extr. hyoscyami, et sequenti die hirudines IV pectori applicari jussi; tertio die aegra narrabat se insigne levamen expertam fuisse, postquam sibi hirudines multum sanguinis exsuxerant; decubitus in dorso erat facilior, pulsus magis regularis, urinam autem, quae parce antea reddebatur, jam multam fudit; hinc errorem in diagnosi me commisisse percepi, et reliquis addendo digitalem diuresin promovere conabar eo effectu, ut aegra ab omni pectoris malo sanata post aliquod tempus

pus nosocomium relinqueret. Haec animo volvens, postea accuratius indagare mecum constitui, an in hydrothorace semper hirudines tantum levaminis afferrent, neque spes me fefellit; si enim pectoris adsit coarctatio, decubitus in dorso impeditus, respiratio brevis et anhelans, urinae secretio impedita, hirudines non tantum magnum levamen vulgo adferunt, sed etiam urinam, quae adhibitis licet medicamentis diureticis parce movebatur, jam longe copiosius emittebant, ita ut postquam hanc methodum instituerim, longe felicior fuerim in hoc morbo curando, ceterum tam saepe lethali; praecipue in junioribus hominibus hirudinum vel et cucurbitarum in pectore utilitatem pro varia constitutione aegri vix satis extollere possum; aliquando tamen accidit, ut his licet applicatis, urinae secretio nullo remedio cieri posset, sed parca, fusca, spissa secerneretur; vulgo autem inveni, tunc sordes in primis viis adesse, vel et bilem latere, quando, si resolventibus, inprimis Tart. Emet. refractâ dosi, vel et laxantibus organa digestionis refocillabantur, urina iterum feliciter fundebatur (*a*), aliquando spasmus causa

(*a*) Saepissime observavi in hydrothorace et bronchitide tum symptomata congestionis versus caput, tum symptamata biliosa oriri; si horum explicationem conjecturâ consequi liceat, sus-

sa videtur, cur urinae secretio impedita sit; hinc diureticis in hydrothorace semper antispasmodica remedia uti hyoscyamum, aquam amygdalarum amararum admiscere soleo; aliquando tanta pulmonum adest irritatio, ut tantum digitalis vel ejus tinctura emulsioni adjuncta levamen adferat. — In universum notandum est, quod remedia diuretica maxime ab aliis remediis differunt, quod non semper effectum exspectatum praestant urinamque pellunt; saepe medici ad alia remedia tunc refugiunt, quod tamen minus recte factum arbitror; causa enim inquirenda est, cur diuretica non agant, qua remotâ exspectatos effectus praestant; confiteor tamen non semper facilem esse hanc inquisitionem; vulgo ex congestione et orgasmo vasorum, vel et ex spasmo vel sordibus gastricis exoritur. —

In hydrothorace ergo semper antiphlogistica, uti

suspicer una causa utrumque symptoma provocari; circuitu scilicet per pulmones impedito, sanguis in ventriculum cordis dextrum et venam cavam cogitur, quo congestio versus caput fit, vel deorsum sanguis in hepar pellitur, quo fit, ut bilis majori quantitate secernatur, et biliosa symptomata exoriantur, prouti in alterutro organo vasa sanguinis impulsui facilius cedant. — Corpus autem vivum ita fabrefactum est, ut unum idemque symptoma ex causis maxime diversis oriatur, neque eadem explicatio sufficiat.

uti cremor tartari solubilis, acetas potassae, nitrum, digitalis, uti et oxymel colchicum mihi prae ceteris placuerunt; sub usu roborantium vel et amari cujusdam remedii diuresin diminui, et pectoris coarctationem increscere vulgo observavi, et cadaverum sectiones et observatio plurium aegrorum me abunde docuerunt, hydropem raro ex debilitate oriri aut roborantibus esse debellandum; praeterea in hydrothorace alvus aperta teneatur, et omnis labes gastrica, biliosa quantocius removeatur, urinae enim secretionem tardat; si debilitas magna adsit et urina bene egeratur, aliquando infusioni valerianae vel et arnicae diuretica adjunxi; temperanter autem administrari debent; saepe post aliquot dies urinae secretio iterum diminuitur, ita ut cogitatio, hydropem oriri ex nimia membranarum serosarum secretione et orgasmo, et non e debilitate, me semper in cura feliciter peragenda duxerit et adjuvaverit; neque enim in vera exhaustione et macie summa, si ex obstructionibus et concoctionis morbo non fuerat orta, hydropem ortum videmus, sed e contra post febres intermittentes, quibus lien et hepar afficiuntur, vel et post incautum corticis peruviani usum, quod remedium certe in organis concoctionis vasorum orgasmum provocat eaque ad inflammationes chronicas dispo-

ponit, hydrops saepissime infertur; his accedit, quod saepe serum exsudatum acre membranas serosas stimulet et vasorum secretionem nimiam adaugeat, quam irritationem irritantibus facile adaugemus; hanc ob causam a drasticis vulgo in hydrope me abstinui; effundunt quidem humores, et morbum non raro sanant, sed illis nimis saepe digestionis organa laeduntur, chylificatio turbatur, et vires aegri decrescunt. Ut autem dicta exemplis illustremus, e pluribus morbi historiam sequentem elegimus.

Casus I.

Juvenis 17 annos natus, qui ascitide laborabat et oedemate scroti, neque dubia hydrothoracis signa monstrabat, in nosocomium portabatur 24 Maji anni 1824; oedema praecipue in pede sinistro et facie sine ulla causa cognita fuit orta, facies et pes alter magis magisque dein intumescebant, tandem et scrotum; hypochondriorum nullus dolor erat, urina parca, alvus naturalis, appetitus languidus, febris nulla; administravi aegro mixturam diureticam ex cremore tartari solubili et oxymelle colchici, quibus pulveres e digitali addidi, eo cum effectu, ut urina paulo copiosior moveri coeperit; post 6 vero dies signa gastrica oriebantur, lingua flava, obsessa, sapor amarus, alvus laxior, urinae secretio iterum valdopere diminuta, brunea; post resol-

ven-

ventium et dein emollientium remediorum cum muriate ammoniae usum symptomata gastrica evanuere et diarrhaea iterum compescebatur; jam autem de frequenti cordis palpitatione querebatur, pulsus irregularis cum tussicula aderat, decubitus in dorsum impeditus, palpebrae inferiores tumescebant; urinae secretio iterum magis naturalis, non vero copiosa; excoriatione vero in scroto ortâ, magna seri copia effluxit, et abdomen detumescere incepit; quum vero debilitas magna adesse videretur, tentavi infusionem florum arnicae cum acetate potassae et digitali, sub cujus usu abdomen quidem magis magisque detumuit, et urinae secretio bona peragebatur, non vero adeo copiosa, uti saepe hydropicis his contingit, quin et duobus ultimis diebus iterum paulo parcius, cordis vero palpitatio et respirationis anxietas pedetentim augebantur; hanc ob causam spasmum suspicans antispasmodica, uti pulv. Doveri etc. adhibui eo effectu, ut haec symptomata mitigarentur et multum urinae funderetur; destiti simul ab infusione arnicae, metuens ne nimis irritaret, et ad mixturam primam diureticam redii; subito autem omnia sine causa manifesta pejora reddebantur, ita ut 26 Junii, postquam per 2 dies hac mixtura usus fuerat, urinam iterum raro moveret, palpitatio cordis esset vehemens, anxietas pectoris et respirationis,

tan-

tanta, ut aeger fletu levamen horum symptomatum a me efflagitaret; pulsus valde irregularis erat, intermittens; apposui jam hirudines IV in pectore, et adhibui acetatem potassae, et tincturam digitalis.

27 Omnia meliora, oppressio pectoris et respirationis anxietas post hirudinum applicationem sublatae sunt, pulsus jam regularis, nocte urinae crebro magnam copiam emisit; jam omnia continuato horum remediorum usu adeo in meliora vergebantur, ut aeger 10 Julii ab omni hydrope et pectoris malis sanatus nosocomium reliquerit. Ex industria hanc historiam selegi, quum pateat, gastricis malis obortis, urinae secretionem tardari, quibus depulsis iterum augebatur urinae secretio; jam vero in decursu morbi symptomata hydrothoracis et forsan hydropis pericardii oriebantur; nimis autem adhuc in hydrope debilitatem metuens ad arnicam confugi eo effectu, ut urinae secretionem post aliquot tempus inhiberet, et pectoris mala increscerent; antispasmodica pro momento quidem levamen adferebant, sed convalescere non prius aeger incepit, quam post hirudines pectori appositas; tum sponte crebro minxit et pectoris mala cito sublata sunt.

Casus II.

Idem patet ex casu sequenti puellae 24 an-

nos

nos natae antea sanae; quae forsan ex catharro neglecto mense Martio anni 1825 tussicula afficiebatur, usque ad mensem Maji, quando inopino febris fuit orta quotidiana; jam oritur dolor per totum pectus, tussis in paroxysmo febris aucta, menstruus fluxus desinit; post 8 dies febris sponte conquiescit, asthmaticum autem pectoris malum remanet, quo nec diu se movere, nec scalas adscendere poterat, urinae secretio valde diminuitur, facies intumescit praecipue sub palpebris inferioribus; decubitus in dorso et latere sinistro impeditur, somnus insomniis turbatur, saepe aegra evigilat; haec conditio eodem fere gradu continuat per totam aestatem; urinae secretio aliquando adeo suppressa erat, ut in 24 vel et 36 horas vix semel urinam mitteret; tandem 11 Novembris iterum febris redit tertiana; dolor licet non magnus in pectore, jam magis in dextro latere haeret; post febrem primo pes dexter et 2 dies postea sinister tumescere incipit, post secundum febris paroxysmum, pectoris oppressio et asthma augentur, quam ob causam tandem 22 Nov. nosocomium adiit; jam vidi puellam facie tumida praecipue sub palpebris inferioribus, pedes oedemate tument, vix autem abdomen; lingua flava obsessa, sapor amarus, urina parca rubra, decubitus in dorso impeditus, dolor levis in regione hepatis et thora-

cis dextri, respiratio brevis; administravi mixturam resolventem ex acetate potassae et tartaro emetico, eo effectu, ut post 7 dies signa gastrica quidem tollerentur, urina autem non copiosior secerneretur et pectoris oppressio in dies incresceret, pedes vero extenuari inceperunt; itaque refugii ad mixturam diureticam ex cremore tartari solubili cum oxymelle colchici et extr. hyoscyami; febris interim alternâ die continuat, cephalaea ex aliquot diebus magna adest; his vero urinae secretione nondum restituta, 1 Decembr. cucurbitas sanguineas IV in pectore applicavi, quibus satis sanguinis effundebatur; post harum applicationem magnum in pectore levamen, pulsus antea parvus, suppressus, major factus est; nocte insequente multum minxit, quantum non ab initio morbi; respiratio multo facilior, faciei oedema paulatim decrescere incipit, cephalaea vero continuat eo gradu, ut durante febris paroxysmo lypothumia oriretur; post febrem cephalaea paulo minor. Sexto autem hujus mensis iterum animi deliquium cum convulsionibus oriebatur, aquam vero frigidam in caput affundendo ad se rediit; hirudines jam II temporibus applicavi eo effectu, ut cephalaea prorsus desineret; simul moschi gr. X per diem adhibui; continuat uti mixt. diuretica, post 2 dies febrem redeuntem pulveribus

bus e sulphate quininae et magisterio bismuthi sine noxa profligavi, quando cito adeo reconvaluit, ut die 16 ab omnibus pectoris malis prorsus liberata sine incommodo obambulare valeret; urinae secretio copiosa continuat, faciei oedema prorsus detumuit, decubitus in dorso facilis, somnus quietus, appetitus magnus, alvus bona; convulsiones postea aliquando rediere epilepticae, nullum vero hydropis signum. — Ex hoc casu, quales plures adducere possem, satis patet, conditionem subinflammatoriam primo adfuisse, cujus chronico decursu, accedente febri, seri copiosior secretio in pectore nata fuerit, simul urinae copia diminuta, quas singulares secernendi quasi vices adhuc mihi latere facile confiteor; facies primo intumuit, non vero pedes; saepius observavi pedem lateris affecti prius intumescere; prae omnibus autem magna effusionis sanguinis localis utilitas ex hoc casu patet; omnia remedia enim ad diuresin citandam frustra administrabantur, neque urinae secretio prius fuit restituta, quam post illam; tum autem non interrupta est. Bene autem tenendum est, morbum esse valdequam fallacem, qui saepe recidivus inopino fit, quando salvum jam aegrum crederes; ob rei momentum exemplum adducamus.

Casus III.

Vir 50 annos natus mense Julii 1822 nostrum auxilium implorabat; narrabat se ante 4 men-

menses hydrope fuisse correptum, tam ascitide, quam anasarca; his accedebat oedema scroti valdequam molestum, jam bis punctura curatum; paulo post accedebat pectoris oppressio et anxietas cum tussicula; arcessitus audivi pulveres a tonsore quodam fuisse datos, sed sine ullo effectu; jam oculi erant vividi, splendentes, palpebrae inferiores tumebant, uti et tota facies, respiratio brevis, anhelans, anxia, os fere semper apertum tenebat; omnis decubitus impeditus, ut antrorsum vergente corpore tantum sedere valeret, palpitatio cordis nulla, pulsus frequens, parvus, abdomen tumidum, scrotum enorme, capitis infantis magnitudinem aequans, pedes tumidi, eresypelate affecti, appetitus vix ullus, somnus turbatus, e quo cum terrore saepe evigilabat, alvus laxa aquosa, urina parca, rubra. adhibui solutionem diureticam; hac vero urina non copiosius pellebatur, quin et 11 Julii nullam amplius intra 24 horas urinam emiserat, summa pectoris anxietas,. oculi protrusi, facies rubra (*a*), fumum tabaci ferre non valet; appetitus postratus, lingua tamen sana; ut pectoris congestionem tollerem, hirudines III in pectore applicavi, iisdem remediis uti pergit.

12

(*a*) Si hydrothorax magno gradu adsit, ut circuitus per pulmones difficile peragatur, saepius faciem rubram, praecipue autem nasi acuminis rubedinem observavi.

12. Hirudines multum sanguinis exsuxerant, ut haemorrhagia vix sisti potuerit; magnum autem pectoris levamen fuit ortum, hac nocte duas mentulas urinâ implevit, facies minus tumida, respiratio licet adhuc molesta, tamen facilior facta est.

15 Quavis nocte eandem urinae quantitatem emisit, respiratio longe facilior, scrotum ad naturalem formam reductum est, oedema pedum insigniter decrescit, abdomen minus expansum.

Jam in dies adeo convalescere incepit, ut 1 Aug. aegrum invenerim, in dorso decumbentem, quod jam sine ullo incommodo perficere poterat, et fumo tabaci utentem; nullum amplius hydropis vestigium aderat; jam exanthema rubeolas simulans oriebatur, quod cito per totum corpus dispergebatur, et post aliquot dies desquamationem cutis produxit; interim bene valet, vires increscunt, appetitus rediit, diarrhaea nulla, urina bene movetur, nullum pectoris malum. Inopino autem 30 Aug. infortunium in ejus familia oritur, quo animo valdequam commotus, cito thoracis mala redire sentit; sequenti die advocor; invenio aegrum de respiratione stertorosa et anxietate querentem; urinae secretio inhibita, somnus turbatus; adhibui mixturam diureticam et antispasmodicam.

4 Sept. urinae secretio prorsus impedita, oedema pedum et manuum rediit, diarrhaea iterum

oritur cum vomituritione biliosa, scrotum intumescit, debilis aeger est, applicavi Hirudines II in pectore. continuat iisdem remediis uti.

5. Oedema pedum et manuum paulo minus, urinae secretio restituta, licet non copiosa, anxietas paulo minor.

6. Urinam bene emisit, oedema pedum et manuum detumuit, tussis vero continuat, et vires in diem diminuuntur, ita ut tandem tussi et pectoris malis iterum urgentibus, 9 Sept. viribus omnibus prostratis, quas ultimis diebus floribus arnicae aliisque frustra erigere tentaveram, morbi vi succubuerit.

Licet igitur exitus hujus casus infaustus fuerit, tamen utilitatem hirudinum in hoc morbo satis demonstrat; in quibusdam vero casibus, licet rarioribus, talem felicem eventum hirudinum applicatio non habuit, ut urinae secretio non augeretur, neque pectoris mala valdopere diminuerentur; vulgo autem in talibus casibus sordes gastricae urinae secretionem impediebant, et pectoris affectionem morbosam promovebant, vel tanta jam partium structurae mutatio morbosa aderat, ut a nullo remedio levamen posset exspectari; in genere in junioribus plurimum ab illarum applicatione expectandum est, sed caveat Medicus, ne ob debilitatem sanguinis effusionem localem exiguam nimis fugiat; vulgo

enim

enim suppressio virium tantum adest, vel si revera sint debiles aegri, tamen sequenti die meliores se sentiunt, ita ut longe rarius debilitate, quam pectoris oppressione et respiratione laesa moriantur, quae actio itaque primo restituenda est; pro viribus tamen sanguinis missionem instituendam esse, vix est, quod moneam.

Non raro autem accidit, ad quod bene attendendum est, pedum oedema cito tolli, unde tanta oritur pectoris oppressio, ut aegri suffocatione cito moriantur, aliquando inopino quasi fulmine icti mortui decidunt. Pectoris oppressionem talem bis exortam observavi, ab incauto spiritus vini usu, quo aegri pedes lavaverant, quando tanta insequebatur respirationis et circuitus laesio, ut manus fierent frigidae coeruleae, pulsus saltem in una nullus posset percipi, licet adhuc bene mente esset; dato drastico remedio utrumque aegrum fere ob orco revocare contigit, sedes enim copiosae excitabantur, et pectoris mala tam cito hac derivatione evanuere, ut altero die uterque aeger obambulare posset.

Neque minus lethalem eventum convulsiones in hoc morbo inferre solent, ita ut rarius contingat, talem aegrum adhuc restituere, cujus exemplum in casu II jam adduximus: vidimus his in casibus arachnitidem vulgo in cadaveribus

inveniri, quam exsudatio seri et hydrorachitis vulgo insequuntur; adducamus exemplum.

Casus IV.

Puella tenera 16 annos nata, ante duos et ultra menses sine ulla causa cognita oedemate in facie et pedibus afficiebatur, cum quadam pectoris oppressione; insequebatur post aliquod tempus febris, cum vomituritione aliisque symptomatibus gastricis, et anxietate pectoris tanta, ut antrorsum sedere esset coacta, omnisque in dorsum decubitus perquam molestus. Hac de causa 26 Jan. hujus anni nosocomium adiit.

Vidi puellam facie pallida, oedemate tumente, praecipue sub palpebris inferioribus; eodem malo pedes et imprimis labia pudenda insigniter tumebant; cutis erat sicca, pectoris anxietas cum tussicula sicca, continua, dolor in latere dextro inspiratione profunda auctus, pulsus erat frequens, somnus turbatus, decubitus in dorso impeditus; his accedebant vomituritio, quin et vomitus, lingua paulatim obsessa, alvus nulla, urina parca, rubra; menses nondum adfuerant.

Ut hunc morbum gastricis symptomatibus complicatum simpliciorem redderem, administravi laxans remedium cum Tart. Emet. eo effectu, ut sequenti die aegrae conditio esset paulo melior, alvum copiosam reddidisset, urinam tamen

par-

parcam; reliqua eadem, nisi quod gastrica symptomata essent diminuta; hanc ob causam remedia resolventia diuretica administravi.

29. Omnia eadem, urina admodum parca, rubra, pectoris anxietas hodie increvit, uti et tussis, pulsus frequens paulatim durior, levis pectoris dolor, cephalaea, pupillae dilatatae, et quaedam anxietas, ut mali ominis aliquid subesse suspicarer; hanc ob causam cucurbitas sanguineas III in pectore ponendas jussi iisdemque remediis addidi extracto Hyoscyami.

Hora II matutina oriuntur convulsiones vehementes epilepticae, quibus nunquam antea laboraverat, cum spuma inter labia et congestione versus caput, quibus per horam fere non interruptis, cucurbitae apponebantur in pectore, eo effectu, ut mox convulsiones diminuerentur et placide decumberet.

30. Omnia jam meliora, anxietas pectoris multum mitigata, licet non prorsus ablata, pupillae adhuc dilatatae. Iterum applicavi cucurbitas sanguineas IV in pectore.

31. Omnia longe meliora, magnam hac nocte emisit urinae quantitatem, tussis tamen continuat cum sputis paulatim sanguineis, dolor pectoris levis remansit adhuc, decubitus in dorso jam facilis, facies melior, minus tumida, pulsus ad-

adhuc subdurus, pupillae dilatatae cum levi capitis vertigine.

2 Febr. oedema insigniter decrevit, urinae secretio naturalis, sputa vero magis iterum sanguine tincta sunt; accessit sapor amarus; adhibui mixturam refrigerantem cum acetate potassae et Tart. Emet., et de novo cucurbitas IV in pectore applicavi.

3 Febr. a cucurbitis magnum levamen pectoris, oedema faciei fere detumuit, epistaxi ortâ cephalaea diminuitur.

Jam in dies aegrae conditio melior fit, tussis cito desinit, uti et oedema, pectoris molestiae nullae, somnus placidus sine insomniis, decubitus in dorsum facilis, symptomata gastrica adhuc recrudescentia resolventium et dein amarorum usu cito profligata sunt, ita ut prorsus restituta post aliquot dies nosocomium relinquere posset.

Etiam in hoc casu quaedam pectoris inflammationis signa non defuere, quae, uti jam monuimus, in junioribus magis praevalere solent, praecipue autem sanguinis localis emissionis utilitas apparet; non tantum enim convulsiones post applicatas cucurbitas cito sedatae sunt, sed et urina, quae per aliquot hebdomades parce fluebat, neque diureticis datis pelli poterat, post cucurbitas appositas et pectoris phlogosin et spasmum

mum superatum, sponte magnâ copiâ secernebatur, ita ut ab omnibus hydrothoracis malis sanata cito nosocomium relinqueret.

Si vero constitutio sit robusta et omnia symptomata inflammationem aut saltem plethoram insignem cum vasorum orgasmo indicant, venae sectio requiritur; adducamus exemplum.

Casus V.

Juvenis 24 annos natus, robustus, fortis, plethoricus, collo brevi, per aliquod temporis spatium de cephalaea, vertigine et quibusdam gastricis malis conquestus fuerat, quibus non ita diu post Hydropis symptomata accedebant.

10 Febr. anni 1825 in nosocomium ductus sequentia observavi; facies erat pallida, stupida, palpebrae inferiores oedemate tumentes, pupilla non dilatata, respiratio aliquantum anhelans, molesta, pulsus paulo durior frequens, lingua flava, obsessa, appetitus prostratus, alvus tarda, urina parca sedimentum lateritium deponens, cutis sicca anasarca ubique tumens, pedes vesperi oedemate tument, decubitus in dorsum impeditus; adhibui resolventia, refrigerantia cum diureticis juncta, quae tamen urinam non ciebant; post 3 dies vero convulsiones noctu oriebantur vehementes, mane accedens inveni aegrum facie magis tumidâ decumbentem, oculi erant rigidi, pupillae dilatatae, lingua rubra tumes-

cens, pulsus durus, frequens, alvum heri non posuerat, urina parca; continuat iisdem remediis uti; institui venae sectionem ad ℥ VI.

Hora 10 matutina paulo ante Ven. Sect. convulsiones rediere, congestio insignis, sanguis ex ore effluebat, verisimile ex lingua intra dentes compressa et laesa, et insigniter tumente, coloris purpurei, respiratio erat frequens, anxia, collum valde tumidum, convulsiones continuae, ut non sine difficultate vena secari posset; postquam ℥ VI erant effluxae, convulsiones paulo minores reddebantur; ℥ X sanguinis effusis, congestio diminuebatur, pulsus minus frequens, respiratio facilior; fomenta frigida in caput et epispastica ad suras et nuchas sunt adhibita.

Hora 5 vespertinâ congestio pertinax, lingua adhuc magis tumescens, haemorrhagia ex lingua continuat, quae intra dentes compressa nullo modo in os introduci poterat, anxietas magna, pulsus tamen mollior, minus frequens, tamen sui nondum erat conscius.

14. Nox inquieta, facies, lingua et collum adhuc tument, respiratio stertorosa, alvum nondum posuit, clysma heri applicari non poterat; urina durante nocte sponte defluens, pupillae tamen non dilatatae, oculi magis vividi, pulsus tardior, mollis, ad se redire videtur, quum nomine suo advocatus attolleret oculos et cerneret.

Ad-

Administrati sunt pulveres sequentes

Moschi optimi ℈ I.
Sach. alb. dr. I.
m. f. pulv. N. V.

Appositum est clysma purgans cum Tart. Em. gr. IV.

15. Alvum post clysma copiose posuit foetidam, somnolentia stertorosa durante nocte somno placido excepta est, urina tamen adhuc sponte defluens, convulsiones non redierunt; indicabat jam manu dolorem in abdomine adesse, non vero in capite, neque ore; lingua tamen adhuc ex ore tumebat, vomituritio aliquando adesse videbatur, quamobrem mixturam resolventem cum Tart. Emet. adhibui. Repetatur clysma.

16. Omnia symptomata longe meliora; heri lingua adeo detumuit, ut in os retrahere potuerit; loquela tamen adhuc impedita, urina non amplius involuntaria. Jam cito adeo convaluit, ut post 2 dies mente constans obambulare valeret; urina jam copiose emittebatur, appetitus redibat et omnia Hydropis symptomata subito sublata sunt, ob linguae vulnus aliquamdiu adhuc in nosocomio morabatur, ita ut tandem 25 prorsus sanatus ab hydrope, et respirationis molestiis exierit.

Mense Octobris ejusdem anni redibat, de doloribus artuum Rheumaticis querens; Hydrops vero, neque convulsiones rediere; post aliquod tempus idoneis remediis restitutus denuo exiit.

Mo-

Moschi effectum in convulsionibus, si nimia systhematis sanguiferi affectio venae sectione compesceretur, saepius admiratus sum; quin vidi semel motus impetuosos hoc remedio adhuc compesci posse, licet pressione corporis alieni in medullam inferrentur; sed magnâ dosi adhibeatur, nihil enim in tali casu exigua dosis praestare valet; non subito ceterum in affectionibus talibus Hydrothoracem concomitantibus desperandum est, aliquando enim contingit morientem fere in vitam reducere, cujus memorabile exemplum adducere non incongruum ducimus.

Casus VI.

Vir 32 annos natus, pictor, robustae constitutionis, antea vitae dissolutae deditus; postquam aliquamdiu in officina, in qua sacharum Saturni parabatur, laboribus noxiis occupatus fuerat, colicâ saturninâ pessimâ affligebatur, cum alvi obstructione; dolores insigniter increscebant, et tandem, pluribus remediis frustra datis, abdomen meteorismo tumere incepit, quod symptoma ceterum in hoc morbo deficere solet: post 14 tamen dies alvus solvebatur remediis verisimiliter drasticis a Medico adhibitis; post aliquod tempus vero febris oriebatur cum sudoribus profusissimis, a qua tandem post 2 menses restitutus est. Non ita diu vero haec fausta conditio continuabat; post 2 enim hebdomades febris cum

iis-

iisdem symptomatibus rediit, quam ob causam 22 Novembris 1824 in nosocomium ducebatur, querens de dolore in regione hypochondriaca sinistra, lingua erat sicca, flava, obsessa, appetitus nullus, alvus tarda, facies pallida, febris quotidie redibat; sudores vero tantos profudit, ut quovis mane totus lectus maderet, varia adhibui remedia eo effectu, ut febris quidem tolleretur, sudor vero non aut vix mitigaretur; post aliquot dies vero sudor noctu desiit, sed statis temporibus redire incepit sine ullo alio febris symptomate, ita ut pulsus hoc tempore ne frequentior quidem esset; dato autem sulphate quininae ante accessum ad gr. VIII, post tres dies et hic paroxysmus fugabatur, atque aeger usu cort. peruv. tam firmus sibi videbatur, ut 29 Jan. 1825 nosocomium relinquere cuperet, quod fecit me invito; neque eventus fefellit, nam post 8 dies symptomata morbi varia redibant, appetitus iterum diminuebatur, et jam pedes oedemate intumescere coeperant, quibus accedebat anxietas pectoris et ascites, ita ut tandem 10 Martis in nosocomium redire coactus esset.

Jam novus morbus et nova symptomatum caterva aderant, facies pallida, oedematosa, palpebrae inferiores tumentes prominebant, lingua iterum sordida albe flavescens, sapor licet non amarus, malus tamen, alvus clausa, abdomen val-

valde tumidum, tensum, durum, dolor hypochondrii sinistri in regione lienis, pressione recrudescens, respiratio molesta, anxia, decubitus in dorso molestus, licet non prorsus impeditus, pulsus paulo durior, parvus, non frequens; aegro dedi mixturam resolventem, diureticam. Sequenti die omnia eadem; horâ 4 vero meridianâ anxietas valdequam increscebat, intumescentia et meteorismus abdominis, respiratio impedita, sudor frigidus in facie, quae symptomata adeo increscebant, ut hora $4\frac{1}{2}$ arcessitus, ejus conditionem prorsus desperatam invenerim; sibi non erat conscius, omniaque symptomata mortem instantem indicabant; oculi fere collapsi videbantur, nitore orbati, palpebrae semiclausae, caput retroflexum, respiratio rarissima, abrupta, morientis instar, ita ut lente maxilla inferior quavis inspiratione, aut potius anhelitu, attolleretur, sed os non claudens cito decideret; artus frigidi, coerulei, et sublati quasi paralytici aut mortui cadebant, pulsus nullus percipi poterat, cordis tamen pulsationem adhuc sentire potui, ita tamen, ut in agone versari aegrum nullum dubium superesset. De omni auxilio in initio desperans tamen instillationem aquae frigidae, cujus effectus egregios in desperatis casibus saepissime observaveram, experiri volui; quam instillationem in scro-

scrobiculo cordis ab altitudine 7 aut 8 pedum institui eo cum effectu, ut subito quaedam respirationes anhelantes vel singultus sequerentur; jam oriebantur contractiones musculorum faciei et oculorum adeo horrentes et dolorificae, ut earum imaginem non facile e memoria posse deleri arbitrer; pergendum autem credidi, stimulum enim hunc adhibitum percipi demonstrabant; subito motus quidam brachiorum rediit, respiratio paulo frequentior et regularior reddebatur; ne autem continuata aquae frigidae instillatio frigore noceret, vitaeque flammulam restingueret, alternavit hoc remedium frictiones strenuas spiritus vini camphorati et tinct. cantharidum; color naturalis in manibus redire incepit, pulsum, quem paullo ante nullo modo percipere potueram, jam percepi, oculi vividiores reddebantur et facies tota vitam redeuntem indicabat; jam instillationem aquae frigidae repetii, et simul pedum suras scopis setosis fortiter fricari jussi, ejusque sensum ingratum, sono edito, aeger indicabat; conscientia jam rediit, et voce debilissima de dolore prorsus intolerabili in hypochondrio sinistro querebatur.

Valde difficile erat doloris hujus naturam rite dijudicare et indicationem rectam in re tam ancipiti constituere; gradus enim doloris, qui le-

vissimum attactum non patiebatur et aliquamdiu jam adfuerat, inflammationem indicare videbatur; vita autem vix rediens et prosternatio virium sanguinis effusionem contraindicare videbantur; pulsus quidem, jam percipiendus, sub hac cura rediit, tamen valde exiguus et irregularis erat; quum autem vires potius suppressae quam exhaustae esse possent, una hirudine applicata effectus observare volui, simulque administravi:

Mosch. orient.
Camphor. aa gr. X
m. ut f. cum Sacch. alb. pulv. N. V.

Quo modo resuscitatae vitae flammulam alere, spasmum, si qua adesset, solvere et ab altera parte inflammationis vim sine vitae periculo compescere mihi visus sum. Postquam hirudo aliquamdiu sanguinem exsuxerat, aeger dolorem paulo remittere voce debili affirmabat; pulsus aliquomodo plenior reddebatur et regularis, atque adeo ad se rediit aeger, ut pulveribus uti valeret, et vespere sibi esset conscius, reliquaque omnia symptomata diminuerentur continuo magis; applicationis aquae frigidae neque frictionum aeger aliquid sibi recordatur.

12. Noctu aeger aliquot horas placide dormiit, tamen lassum, debilem, et depressum se sentit, dolor in Hypochondrio sinistro nondum prorsus remisit, pressione adhuc augetur; pulsus

sus plenus regularis; adhibui mixturam antispasmodicam et diureticam et hirudines II in loco dolenti applicari jussi eo effectu, ut mitigaretur lenteque tolleretur dolor, urina copiosior secerneretur, tumor abdominis decresceret et faciei oedema diminueretur; tussicula remansit, quae primo pulveribus Doveri debellata mitigibatur quidem, sed paulo post tussis periodice redire coepit, licet febris adesse non videretur; hanc ob causam, postquam tertia vice vesperi eâdem horâ redierat tussis:

23. Administravi sequens remedium.

℞ *Pulv. Dover. gr.* XII.
Mag. Bism. gr. VI.
Sacch. alb. dr. I.
m. f. pulv. N. VI.
S. omni hora ante accessum pulvis.

24. Tussis solito tempore non rediit, sed levis modo in aspera arteria titillatio; continuato usu per tres dies tussis desiit, sed primo iterum sudor copiosus et sequenti die febris intermittens prodiit, frigore incipiens, sudore terminata, quotidianum typum servans; quum appetitus jam naturalis esset, et alvus normalis, post tertium paroxysmum sulphate quininae hanc febrem debellavi eo effectu, ut tandem 6 Aprilis, a morbo adeo complicato sanatus, et mortis faucibus quasi ereptus aeger nosocomium bono et hilari animo reliquerit. Ante aliquot hebdoma-

N 2 des

des aegrum adhuc sanum vidi suaque negotia perficientem.

Plura certe memorabilia in hoc casu occurrunt, quae fuse exponere longius a scopo nos deducerent; animadvertam tantum, me febres larvatas saepissime magisterio bismuthi feliciter debellavisse, si sulphatem quininae adhibere nondum auderem; vulgo autem talis febris larvata in febrem intermittentem transit regularem, nisi magna sulph. quininae dosi simul et semel deprimatur.

An convulsiones hoc in casu ab Arachnitide vel affectione nervi sympathici ortae fuerint, non definiam. Sufficiant enarrata ad demonstrandum, omnibus desperatis et fere deperditis, validis tum et strenuis auxiliis interdum aegrum in vitam posse revocari.

Praecipua Hydrothoracis momenta nos jam exposuisse credimus; de singulis remediis tantum addendum putamus, digitalem saepissime magnos effectus in hoc morbo praestare, si semel urina copiosius fundi inceperit; diuresis enim illo remedio saepe magnopere promovetur; ceterum acetatem potassae, cremorem tartari solubilem, oxymel colchicum administrare soleo, quibus pro re natâ, antispasmodica, resolventia vel et emollientia adjungimus.

Unum remedium silentio praeterire non possumus, quod aliquando urinam citare observavi-

vimus, licet in Hydrothorace tanquam nimis irritans sollicite evitandum esse credamus, tincturam Jodii volumus; quod remedium ad vasorum lymphaticorum actionem incitandam adeo efficax a multis celebratur, a nullo vero vim diureticam memoratam invenimus; itaque verbo exponamus, quid in ascitide tinctura Jodii interdum efficere valeat.

Foemina 56 annos nata, initio Octobris anni 1824 corripiebatur febre cum dolore in Hypochondrio et scapula dextris, sapor erat amarus, alvus irregularis; post tres hebdomades abdomen intumescere incepit, dolore licet paululum diminuto, jam oriebatur icterus sensim sensimque increscens, vires diminuebantur; die 19 Nov. tandem in nosocomium deducta est.

Jam sequentia symptomata notavi: color faciei admodum flavus, subbrunneus, sclerotica flava; dolor in Hypochondrio et scapula, licet minor, continuat; attamen pressionem modicam in regione hepatis bene ferre valet; abdomen valdequam tumet, durum est, praecipue in regione hepatis, pulsus frequens, debilis, cephalaea, sapor amarus, lingua flava, obsessa, alvus tarda.

Resolventibus et clysmatibus alvum movi, lingua purior reddebatur et saporis amarities corrigebatur, durities vero in abdomine eadem mansit.

Ut igitur hepar tumens curarem, tentavi tincturam jodii ad gtt. VIII per diem, quas mixturae diureticae, qua jam aliquamdiu usa fuerat, addidi.

Post tres dies cutis color flavus dilui coepit, urina mitti, abdomen mollius reddi, extenuari, ut die 15 Decembr. omnis icterus, abdominis durities, et tumor discussi essent, et viribus medicina amara et cibo restauratis a morbo sanata 15 Jan. nosocomium reliquerit.

In aliis casibus hydropis interdum observavi, si nulla adesset inflammatio, sed diuresis nullo modo posset augeri, ejusque pertinaciae causa neque in plethora, neque in sordibus, aut spasmo lateret, jodio sanationem perfici.

Sic Juveni 28 annos nato ascitide et anasarca laboranti per duos fere menses varia remedia diuretica frustra dederam, diarrhaea quidem oriebatur, qua multum aquae effundebatur, sed simul vires diminuebantur; superata tandem remediis idoneis diarrhaea, Tinct. Jodii adhibui eo effectu, ut jam sequenti die urina moveretur, et 7 dies post ab omni Hydrope restitutus nosocomium relinqueret. In foeminis non raro occurrit ascites adeo pertinax, ut nullo remedio sanari posse videatur, adducamus exemplum.

Puella 28 annos nata Oct. 1822 adducebatur, ascitide et anasarca laborans; morbus jam per 4 an-

4 annos aegram adflixerat, pedibus tumens, ceterum emaciata erat; narrabat se antea diu febre laborasse, quam tandem hydrops insecutus fuit; plurimis remediis diu et sine effectu usa fuerat; antea saepius vexabatur doloribus hypochondriorum, jam cutis dura, sicca, scabra, et fere brunnea erat; urinae secretio parca; itaque quum videram, cutis actionem hoc in casu prorsus esse depravatam, balnea calida tentavi, licet vires aegrae exhaustae vix eorum usum admittere viderentur; simul utebatur remediis diureticis ex solutione cremoris tartari solubilis, cum oxymelle colchici; balneis cutis lenior, tenerior reddebatur, ejusque color et actio restitui coeperunt, sed debilis balneorum usum non diu sustinuit; observandum est diuretica non prius effectus praestitisse, quam postquam balneorum usu cutis actio fuerit restituta, ita ut jam urina copiosius funderetur; his diaeta nutriens eupepta adjungebatur, quibus vires adeo refocillabantur, ut genarum rubedo rediret et obambulare inceperit; anasarca prorsus sublata est, abdominis vero tumor cum Hypochondriorum duritie remansit, ita tamen, ut luna decrescente urina continuo moveretur et abdomen extenuaretur; increscente vero plena luna abdomen valde tumuit, neque diuretica ullos effectus praestare valebant, quod saepius praecipue in

puellis observavi; postquam itaque plurima remedia incassum tentaveram, tandem II Augusti sequentem administravi formulam:

℞ *Tinct. Jod.* gtt. xx.
Aq. Cinnam. ℥ i.
S. quotidie $\frac{1}{2}$ *pars divisis dosibus sumenda.*

12. Tantam urinae quantitatem nocte reddidit, quantam nunquam antea.

16. Urina continuo et valde movetur et abdomen multum extenuatur.

20. Licet per longum tempus menses non adfuerant, jam inopino rediere; casu tincturae jodii usu neglecto, nocte parum urinae redditum est

23. Urinae iterum plus factum, licet plenâ jam lunâ abdomen minus tumeat, nec tamen ratione urinae fusae. — Per 2 menses adhuc continuato jodii usu adeo restituta est, ut labores iterum perficere valeret et abdominis durities curata esset; tamen semper quaedam intumescentia remansit, quae cum vix molestiam faceret, ulteriori curae sese subtraxit puella.

Licet itaqüe jodii usus aegram non prorsus restitüere valuit, tamen vires satis manifestas diureticas in hoc casu monstravit. Prudenter autem hoc remedium tentandum est in corpore sensili; vidi enim in uno casu mulieris, quae eadem formula utebatur, nocivos effectus; postquam

quam enim gtt. X tinct. jodii incaute uno haustu assumserat, singularia symptomata oriebantur, ita ut per $\frac{1}{2}$ horam coecutiret, et a continuo risu involuntario se abstinere non posset; sensim haec symptomata decrescebant, ut post horam $\frac{1}{2}$ visus esset restitutus, neque aliquod mali superesse videretur; nocte insequente plus urinae minxit.

Non tamen in omni casu jodii vim tam insigniter diureticam observavi, ut aliquando nullos effectus praestare videretur, neque adhucdum definire audeo, quam ob causam ejus vis non semper sit aeque manifesta; videtur tamen in induratione hepatis, in scrophulosis aegris multum boni ab hoc remedio esse exspectandum.

GANGRAENA PULMONUM.



Ad morbos, qui recentiori demum tempore accuratius sunt expositi et descripti, pertinet gangraena pulmonum, morbus adeo rarus, ut MORGAGNI opus pervolvens unam tantum observationem invenerim de sphacelo pulmonis, sed obiter memoratam, ejusque symptomata ab iis illius morbi adeo diversa sunt, quae LAENNEC aliique describunt, ut dubitandum sit, num vera gangraena adfuerit (*a*).

In recentioribus BROUSSAIS gangraenam pulmonis fusius describit, et historiam morbi memorabilem adfert (*b*). Omnium accuratissime autem hunc morbum pertractavit LAENNEC (*c*), inque duas species dividit, alteram circumscriptam definitam, alteram per totum pulmonem diffusam;

(*a*) Epist. XX. Art. 31.
(*b*) Phlegmas. Chron. Tom. I. p. 290 sqq. et p. 342.
(*c*) De l'Auscult. Tom. I. p. 181. sqq.

sam; prior lentius decurrit, ut BAYLE illam ad phthisis species referat (*a*). LORINSER quoque de gangraena fuse scripsit, pluresque ejus observationes collegit (*b*).

Itaque quum morbus ad rariores pertineat, neque multae observationes et cadaverum sectiones accurate institutae et descriptae exstent, non inutile duximus adducere, quid observatio et anatomica inquisitio nos docuerint.

Casus I.

Piscator antea sanus et robustus 48 annos natus, haemoptoe gravi subito corripiebatur, licet antea nullo se pectoris malo affectum fuisse testaretur; haemoptoe sanguinis rubri quotidie redibat, ita ut post 14 dies nosocomium adierit; faciei color erat naturalis, genae subrubrae, circa nares color subflavus, biliosi quid indicans, lingua parum obsessa, tussis fere continua, febris non adesse videbatur, ita ut per nosocomium obambularet, de dolore vix querens, nisi vago in media et dextra pectoris parte, pulsus neque frequentia neque duritie multum aberrabat, tamen. ven. sect. ℥ VI. institui; sequenti die vidi sanguinem emissum crusta inflammatoria tegi, aeger tamen post. ven. sect. de-

(*a*) Recherches. p. 80.
(*b*) l. c. p. 277 sqq.

denuo sanguinis laete rubri copiam non exiguam ejecerat; mirabar autem oppressionem pectoris haemoptoes gravioris comitem solitam non adesse, dolor in media et dextra pectoris parte vero continuabat, non eo tamen gradu, ut respiratio inde laederetur; bene enim loqui poterat et erecto corpore obambulabat; tussis eodem gradu perseverat; ven. sect. itaque repetii, sanguis adhuc crusta tegebatur, serum vero flavum biliosum erat; his accedebat sapor amarus, alvus tarda et vomituritio; bilem in culpa forte essè suspicans, administravi sequens medicamen:

℞ *Aq. coct.* ℥ VI.
Tart. Emet. gr. III.
Nitr. pur. dr. I ß.
Sumat omni hora cochlear.

Sequenti die dolor in pectore minor erat, nullus vero vomitus secutus fuit, alvum semel deposuit; tussis tamen eadèm, sputa foetida, subnigra reddebantur, striis sanguineis tincta, quam ob causam sequenti die ab hac mixtura destiti, et tantum remedia refrigerantia, emollientia administravi; sapor fiebat amarus foetidus, vires decrescunt, facies aliquid insoliti omentosi indicat; post tres dies vomitus oritur, ita ut cibi et potus ejiciantur: adhibui antispas-

spasmodica cum emollientibus, et emplastrum e cumino cum camphora ventriculo apposui; sequenti die singultus aegrum continuo angit, pressa regione epigastrica ventriculus vix dolet, neque abdomen tumet; tussis vix interrupta continuat, sputa foetidissima, tenacia, subnigra, striis sanguineis commixta, foetor halitus oris pessimus; singultu, vomitu et tussi continuis commotus, inflammationem quandam superstitem suspicabar, et ven. sect. probatoriam ℥ III iterum institui, sanguinem vero non inflammatum inveni, neque tamen laxitate peccantem; hanc ob causam moschum tentavi ad gr. X per diem sine ullo tamen levamine; foetor adeo increscebat, ut die noctuque fumigationes ex acido muratico oxygenato circa aegrum instituere debuerim; pulsus parvus debilis redditur, aeger in dorso decumbit, facies magis magisque collabitur, et fit Hippocratica, oculi languentes, sordidi. Loco emplastri e cumino empl. vesicans in ventriculo posui, et valeriana, acidis mineralibus, extr. ratanhiae et moschi pulveribus vires sustinere et erigere conabar, ac clysmate alvum tardam movi; vomitus diminuitur, singultus vero et tussis continuant, nullus dolor, neque in pectore neque abdomine; post duos dies singultus etiam diminuitur, facies autem magis Hippocratica redditur, ge-

nae

nae tamen fusco-rubrae, debilitas magna, foetor idem, sputa magis sanguinolenta, nigra, loquela difficilis, anxietas magna, lingua sicca subnigra; tandem 3 Septembr. obiit.

Sectione cadaveris instituta, inveni intestina leviter rubra, non vero illo gradu, ut ruborem inflammationi adscribere possem; hepar sanum, vesicam bile flava impletam, neque aliquid morbosi in abdomine detegere potui; aperto vero thorace pulmonem sinistrum hic illic pseudomembranis pleurae costali adhaerere apparuit, serumque subrubellum copiose in thorace sinistro effusum erat, ita ut hydrothoracis species formata videretur, quod in morbis biliosis saepius offendi monuimus; pulmo dexter pleurae longe firmior adhaerebat, quam concretionem in parte dorsali media quum removere vellem, et pulmonem digitis extraherem, loco concretionis pulmonem leviter dilaceravi, quo facto liquor nigrescens foetidissimus magna copia, saltem ad libram unam e pulmone effluxit, qui liquor proxime accedere videbatur cum humore nigrescente, quem aliquando vomitu ejiciunt aegri, qui carcinomate ventriculi laborant, et in illorum ventriculis semper invenitur, excepto, quod in illis casibus foetore illo caret.

Postea prudenter pulmone e thorace sublato, vasa sanguifera subtilissime implevi, ut eorum mu-

mutationes morbosas melius indagare possem; pulmone deinde dissecto patuit, partem gangraenosam nigram adesse in pulmone tantae magnitudinis, ut saltem quarta pulmonis pars consumta esset; haec pars affecta mediam et dorsalem praecipue pulmonis partem occupabat; intus haec excavatio floccis nigris erat obsita, ita ut perspicuum esset, vasa minora et parenchyma pulmonis gangraenâ fuisse consumta; inter hos floccos nigros et vasorum reliquias hic illic quaedam vascula sanguifera capillaria cera rubra erant impleta, ita tamen, ut pulmone sub aqua submerso libere haec vascula finibus suis cum reliquis floccis natarent, non aliter, ac si maceratione diuturna a cellulosa et parenchymate cingente essent orbata; tantus autem foetor aderat, ut licet saepissime pulmonem aqua pura diluerem, omnem tamen foetorem prorsus abstergere non potuerim; pleura pulmonalis loco affecto erat crassior et subgrisea, colore vero nigro gangraenoso pulmonis non erat imbuta; reliqua pulmonis pars sana erat, neque ullum inflammationis signum aut tuberculum monstrabat, sed cera injecta eleganter colorata; in spiritu vini specimen hoc bene conservavi; reliquum cadaver integrum erat, minime foetidum.

Memorabile certe in hoc casu est, aegrum tam diu hunc morbum atrocem sustinuisse; incipiebat enim

enim prima haemoptoe 14 dies, antequam in nosocomio recipiebatur aeger, in quo per 4 hebdomades vitam protraxit; itaque malum lente crescebat et pedetentim proserpendo vasa sanguifera emortua haemoptoe inferebant; fateor autem lubenter me in cura haesissé, et de morbi natura admodum dubitasse; venae sectiones in initio institutae inflammationem indicabant, licet crusta non tam tenax esset, quam in peripneumonia et pleuritide non raro observamus; itaque inflammatio adfuit, licet post mortem reliqua pulmonis pars neque inflammationis cujusdam signum neque tuberculum demonstraret; saporem autem amarum foetidum, et reliqua symptomata gastrica, uti vomitus et singultus potius ab halitu oris foetidissimo et inhaustis sputis, quam a sordibus derivanda credimus, quibus symptomatibus praecipue in errorem ducebar; foetor ille ultimo morbi tempore prorsus intolerabilis signum morbi characteristicum videtur, de quo LAENNEC quoque et LORINSER loquuntur, eundemque foetorem postea in aliis aegris duobus observavi, in quibus cadaveris sectio idem malum monstrabat. Ob rei momentum alterum casum adducamus.

Casus II.

Vir 34 annos natus robustus in nosocomium, post-

postquam per 14 dies jam laboraverat, ducebatur, in quo sequentia symptomata vidi.

Lingua erat flava, sicca, obsessa, sapor amarus, facies rubra, oculi fusci, paulatim sordidi, querebatur de tussi et dolore in pectoris parte dextra, alvus fuerat laxior, pulsus mollis, exscreatio sputorum difficilis, in dorso vel latere dextro incumbebat; remediis leniter resolventibus adhibitis biliosa symptomata quidem diminuebantur, tussis autem continuabat, neque remediis emollientibus antispasmodicis datis sedari poterat, vires decrescebant, aliquando accedebat delirium; diarrhaea jam oritur foetida, lingua sicca, sitis ingens, facies aliquid insoliti indicabat, maligni, coloris sordidi, fusco-rubri, singularis, difficile describendi, oculi magni erant, pupillae dilatatae, sclerotica paulatim fusca vasculis sanguiferis pluribus tecta, ita ut ex facie, jam eundem morbum lethalem suspicarer, quem in mox descripto casu observaveram, licet foetorem nondum percepissem; sequenti autem die foetorem eundem proprium jam recognovi, ut de morbi natura mihi dubium non amplius superesse posset; tussis fit frequentior, sputa foetida, mucosa, aliquando subnigra, sanguine mixta ejiciuntur, loquela redditur difficilis, anxietas magna, de dolore in latere dextro queritur, quo loco vesicans imponitur, pulsus frequens, parvus,

tremulus; sic vivit aeger aliquot dies; omnia symptomata in diem increscunt et foetor halitus oris prorsus fit intolerabilis; diarrhaea continuat, artus redduntur frigidi, in delirium taciturnum incidit; tandem obiit, foetore oris 9 dies continuato.

Aperto cadavere inveni intestina sana, excepto liene, cujus pars superior fere dimidia suppuratione erat consumta, diaphragma prope lienem nigrum; pus, pseudomembranis supra lienem inclusum, subrubellum erat et spissum; in pectore pulmo sinister praeter adhaesionem ad pleuram et diaphragma sanus erat, pulmo vero dexter praecipue ejus inferior lobus pro maxima parte gangraena consumtus, ita ut insigne cavum in pulmone adesset, nigro foetidissimo liquore impletum, quo dimidia saltem pulmonis pars prorsus erat consumta; postquam in arterias ceram flavam, in venas vero rubram subtilissime infuderam, vasa lymphatica mercurio implevi, ut pateret, quasnam mutationes subiissent; qua injectione peractâ, vidi circa oram cavi, gangraena nati, elegantissimum vasorum lymphaticorum rete, quae insolite dilatata erant, et ad gangraenosum marginem pro maxima parte clausa videbantur; licet enim mercurius fere ubique in ipsam oram penetrasset, tantum unico loco e vasculo quodam forsan disrupto effluxit; haec vasa lymphatica accuratius indagans, inveni mer-

cu-

curium ex plaga gangraenosa per plura vasa lymphatica in glandulas bronchiales penetrasse, quae multo majores et molles interne structuram morbosam monstrabant, quae affectio verisimile foetidâ et morbosâ gangraenae materie, per vasa lymphatica absorbtâ, exorta fuerat. Per ipsum cavum plures vasorum sanguiferorum rami majores, parenchymate orbati, ducebantur, pauci cera injecta colorati erant.

Videtur ex allatis patere, aliquid biliosi in initio adesse, idem enim in tertio casu junioris maniaci observavimus, in quo tamen tussis ab initio major erat, et minora gastrica symptomata. Ejus cadaveris sectio eandem pulmonis dextri affectionem nobis monstrabat, eundemque foetidum subnigrum liquorem. Semper in facie aliquid monstri alitur, genas autem rubras in juvene non vidi, tamen nervosi quid, vel Hippocratici, oculi indicabant; LAENNEC cutim esse pallidam, aliquando subcoeruleam plumbi instar testatur; idem in juvene vidi, sed illi antea pallor naturalis erat, qui, ultimo tempore marmoreus, leviter coerulescere coepit; in initio ejus morbi genae paulatim rubrae pulmonum inflammationem indicabant; alii aegri colorem rubrum, sed sordidum, subfuscum, ad ultimum halitum servabant. Stupor quidam et anxietas in omnibus praecedunt foetorem, pulsus debilis, irregularis,

tremulus redditur; tussis est continua, exscreatio sputorum nigrescentium; in initio inflammatio praegredi videtur, pus autem in nullo aegri pulmone adfuit, in observatione vero, quam BROUSSAIS narrat, copiosum (*a*). Inflammatio vero singularis huic gangraenae originem dare videtur, neque adeo a LAENNECCII sententia discedo, hanc gangraenam minus inflammationis vi debere adscribi, quam quidem ejus malae indoli, qualem in anthrace, pustula maligna, aliisque observamus (*b*); neque pulmonum inflammatio in nostris aegris magnum gradum attigisse videbatur, saltem in peripneumonia longe graviora symptomata infert, et per totum pulmonem magis dispergitur. LAENNEC testatur dolorem saepe gravem adesse (*c*), in nostris aegris minus vehementem observavimus, saltem in primo aegro, qui de dolore in initio morbi non querebatur; singulare autem est lienis suppurationem in uno aegro nullis symptomatibus sese monstrasse; vomitus, in primo aegro observatus, in aliis defuit.

De cura, quid addam, non habeo; in ultimis aegris frustra camphoram, acida mineralia, corticem peruvianum tentavi; si foetor jam adsit, nullo remedio aegrum morti eripi posse credimus.

(*a*) L. c. p. 294. sq.
(*b*) L. c. p. 182.
(*c*) L. c. p. 187.

F I N I S.

EXPLICATIO TABULARUM.



TAB. I.

A. B. C. D. E. F. G. Pars pulmonis sinistri inferior et anterior.

A. B. C. D. Pars costas respiciens externa et antica.

E. F. G. Pars inferior diaphragma versus.

C. D. F. G. Pars lateralis vertebras et cor respiciens.

H. I. K. L. Pars superior pulmonis descissi, vomicâ magnâ consumti.

K. L. M. Latus vomicae apertae reflexum, ut partes intus sitae pateant.

a. b. c. Trachea et Bronchia sinistra extra situm.

d. e. Oesophagus e situ detractus, ut nervus vagus dexter conspici posset.

f. Truncus venae pulmonalis.

g. Truncus arteriae pulmonalis.

h. Ramus arteriae pulmonalis apertus, cujus concreti parietes cultro aperti sunt, et paulo reflexi, uti stylo introducto patet.

i. k. l. m. n. o. Glandulae bronchiales.

l. m. Duae glandulae, supra quas plures nervi vagi ramusculi decurrunt.

o. Glandula bronchialis, qui ramulum e nervi vagi trunco accipit.

o Glan-

p. q. Pars interior vomicae dissecta, cui parti alia pars reflexa prope K adhaeserat; hic plura ostia bronchiarum et vasorum patent.

p. r. Vas sanguiferum, pro maxima parte concretum, per vomicam transverse decurrens.

s. Pars opposita vomicae; hic vas clausum in spiritu vini altero fine libere natat.

t. Quaedam vasa concreta solida, quae laqueos quasi formant, parenchymate cingente consumto.

u. v. Pars vomicae externa descissa, et remota, ut partes aliae conspicuae reddantur.

w. Vasa nova et pseudomembranae descissa; in superficie pulmonis circa vomicam plura vascula cerâ impleta sunt, tam flavâ ex arteriâ intercostali, quam rubrâ ex art. pulmonali, quod in tabula exprimi non potuit.

1, 2, 3. Nervus vagus sinister.

4, 5. Nervus recurrens extra situm.

6. Ramus oesophageus, qui plexum bronchialem, et anasthomosin cum alio ramo oesophageo format.

7. Ramus oesophageus.

8. Rami plures supra glandulam dispersi.

9, 10, 11. Plexus pulmonalis tribus ramis e nervo vago proficiscens.

12, 13, 14. Rami plexus pulmonalis, qui ad vomicae marginem terminantur; praecipue ramus 12 obtuso fine terminari patet.

15. Ramus alter circa glandulam bronchialem reflexus et ibi evanescens.

16. Ramus deorsum tendens, et in pulmonis parenchymate delitescens.

17, 19. Nervus vagus dexter plexum oesophageum formans.

18. Ramus glandulam adeuns.

A. B. C. D. E.

TAB. II.

A. B. C. D. E. Pulmonis dextri pars anterior prope C. pars dissecta est, ut vasorum ostia melius possent conspici.

A. D. F. G. H. Vomica magna aperta, ut partes intus sitae pateant.

a. c. b. Trabecula sic dicta, sive vas sanguiferum clausum, cujus parietes increverunt inflammatione; prope *c* apertum est vas, quo loco stylus, in media vasis parte nondum clausâ, inmissus est.

d. Ostium vasis externum, quod brevi fine clauditur.

e. Vas, quod ad vomicae parietem terminatum, longitudine dissectum est, ut lumen clausum appareat.

f. Ramus arteriae pulmonalis, cujus arteriae rami ulteriores prope *g* et *h* clausi, per vomicam decurrunt.

i. Bronchia, in qua stylus immissus est.

k. Apertura rami bronchialis in vomica, stylo in bronchia inducto, indicata.

l. l. Glandulae bronchiales.

TAB. III. *Fig.* 1.

A. B. C. D. Pars pulmonis sinistri posterior dorsum respiciens.

C. Locus, ubi vasa et bronchiae descissa pulmonem ingrediuntur, quae ob vomicam expansam conspici nequeunt.

E. F. Pars pulmonis cor respiciens, parum in latus dimota.

G. H. D. Vomica in postica pulmonis parte aperta et expansa, partim pleurâ costali tecta.

a. b. c. d. e. f. Pleura costalis, cum pulmone vasorum et pseudomembranarum ope conglutinata.

d. e. Pleura costalis in altum ducta, ut vasa nova conspici possent.

g. g. g. g.

g. g. g. g. Vasa pleurae pulmonalis ramosa, inflammatione dilatata, e quibus nova vascula proficiscuntur.

h. h. h. h. Vasa nova sanguifera, quae plurimum tubulos rectos referunt, sine ramorum distributione; e vasis pulmonis circa vomicam oriuntur et per pseudomembranas in pleuram costalem ducuntur, inque vasa intercostalia, anasthomosi facta, transeunt.

i. i. i. Vasa pleurae costalis ramosa, in quae cera, in pulmonis vasa injecta, per vascula nova transiit.

In specimine ipso vascula, tum per pulmonis superficiem et pleuram costalem, tum nova in pseudomembranis numero longe majori decurrunt, quam in Tabula exprimi potuit.

Fig. 2.


A. B. C. D. Pars intestini tenuis, ulcere affecta.

a. a. a. a. a. Tunica villosa sana, quae ad ulceris marginem corrosa est.


b. b. b. Tunica musculosa ulceratione consumta; reliquiae fibrarum muscularium et vasorum, floccorum instar, conspici possunt.

c Peritoneum in medio ulceris tantum superstes, pellucidum.

Typis A. ZWEESAARDT.



Auctor ad nat. del. et in lapid. pinx



ad nat: del: et in lapid: pinx.

a B E

Fig. 1

b G c i d H h k D g g g F g



...tor ad nat: del: et in lapid. pinx.

ERRATA.

Pag.	32	*lin*	24	unum,	*lege*	unam.
—	53	—	17	enituisse,	—	enixos fuisse.
—	71	—	7	adhunc,	—	adhuc.
—	79	—	11	possimus,	—	possumus.
—	102	—	5	quaerens,	—	querens.
—	109	—	5	vaxata,	—	vexata.
—	121	—	26	camoeno,	—	camino.
—	124	—	23	quaerens,	—	querens.
—	133	—	25	molestus,	—	molesta.
—	178	—	6	refugii,	—	refugi.
—	180	—	23	postratus,	—	prostratus.
—	183	—	19	ob,	—	ab.

Bij den Uitgever dezes is mede gedrukt:

Guld. Cts.

HOUT (A. VAN DER) noſologiſch-therapeutiſche Beſchrijving der Heelkundige Ziekten, naar den Inhoud der Werken van TITTMAN, CALISSEN, LANGENBECK, RICHERAND, BOIJER en andere beroemde Heelkundige Schrijvers, vergeleken met eigene ervaring. gr. 8vo. Eerste Deel. 1825.............................. — 3. 60.

JOHNSON. (J.) De Invloed der Keerkrings-Luchtſtreken op Europesche Geſtellen, uit het Engelsch, naar de 3de Uitgave en met Aanteekeningen vermeerderd door J. M. DAUM. gr. 8vo. 1824................ — 4. 80.

MAUNOIR. (F. P.) Verhandeling over het bloed- en mergachtig ſponsgezwel, of den Fungus medullaris et haematodes. Eene bekroonde Prijsverhandeling, in het Nederduitsch vertaald, door A. VAN DER HOUT, gr. 8vo. 1821........................ — 1. 20.

MAYGRIER. (J. P.) Handboek voor de Praktiſche en Theoretiſche Ontleedkunde, naar de 4de Uitgave, uit het Fransch vertaald, door G. J. VAN EPEN, met eene Voorrede van A. G. VAN ONSENOORT, 2 deelen. gr. 8vo. 1824.............................. — 5. 50.

METZGER. (J. D.) Geregtelijke Geneeskunde, naar de 4de druk, door Mr. J. VAN LINDEN uit het Hoogduitsch vertaald, 2de druk, gr. 8vo. 1818.......... — 2. 80.

MOLL. (A.) Handboek tot de Leer der Teekenen van Gezondheid en Ziekte (Semiologia Medica) 3 deelen. met Aanhangſel, gr. 8vo. 182[illegible]................... — 15. 10.

MULDER. (C.) Handleiding tot de Scheikunde, ten gebruike bij mijne lesſen, en voor eigene beoeſening van Apothekers Leerlingen en Liefhebbers dier Wetenſchap, I. & II. 1, 2, 3 Stukken kompleet, gr. 8vo. 1824. en 1826....................... — 6. 80.

—— (J.) nagelatene Werken of Overzigt van de voornaamſte gevallen, welke in het Heel en Vroedkundig Academiseh Ziekenhuis te *Groningen* zijn waargenomen; met een levensberigt voorzien door deszelfs zoon C. MULDER, met Pl. gr. 8vo. 1824..... — 2. 80.

ONSENOORT (A. G. VAN) De Geneeskundige Heelkunde ſtelſelmatig behandeld ten leiddraad bij zijne Lesſen en in verband gebragt met zijne Operative Heelkunde. gr. 8vo. Eerste Deel. 1825......................... — 3. 60.

PLAATS. (J. VAN DER) Gezondheidslesſen voor Zwangere en Kraamvrouwen. Voor Nederlandſche Vrouwen uit den beſchaafden ſtand, kl. 8vo. 1824........ — 2. 20

SPRENGEL. (C.) Handboek, bevattende de algemeene Regelen ter behandeling der Ziekten, (Therapia Generalis) uit het Latijn vertaald, door G. J. POOL, gr. 8vo. 1825.............................. — 2. 80

SWEDIAUER. (F.) De Venerischte Ziekten in al hare verſchijnſelen, aart en geneeswijze volledig behandeld, uit het Fransch vertaald en met aanmerkingen vermeerderd, door G. VERYN STUART, 2. d. gr. 8vo. 1820.............................. — 8. 40